26) *Epigr.* X. 21. Cf. Persius *Sat.* I. 76 sqq. Ceterum studium illud non tunc primum invalescere coepisse, clara atque ex Horatio (*Epp.* II. 1. 23 sqq.), cuius sententiam Quintilianus VIII. 2. 12 expressit, notissima res est. Octavianum Augustum, exosum *reconditorum verborum foetores*, cacozelos et antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevisse, auctor est Suetonius, *Octav.* LXXXVI. Addit haec: „Sed nec Tiberio parcit, exoletas interdum et reconditas voces aucupanti. M. quidem Antonium ut insanum increpat, quasi ea scribentem, quae mirentur potius homines quam intellegant." Iisdem temporibus Veranius Flaccus, grammaticus haud ignobilis, librum edidit *Priscarum vocum* inscriptum, quem laudat Festus i. v. *Mille urbium*, p. 158 ed. Muell. Sic natum fere cum tyrannide malum dies auxit novis incrementis.

27) Seneca *Ep.* CXIV.

28) „Si antiquum sermonem nostro comparemus, paene iam quidquid loquimur figura est," ait Quintilianus IX. 3. 1.

29) *N. A.* I. 10.

30) Ibid. XVII. 2, ubi complura istiusmodi „non insuavis vetustatis" exempla afferuntur, cuivis percipiendae, qui „aurem habeat non sordidam nec proculcatam."

31) Testes rursus producam ex Plinianis *Epistolis*, in quibus quum praecipua laude feratur Terentii Iunioris peritia utriusque linguae (VII. 25. 4), mirum quantum praedicatur Attica Graecitas epigrammatum et iamborum, quos fecit Arrius Antoninus (IV. 3). Scripsisse etiam Spurinna dicitur utraque lingua lyrica doctissime (III. 1. 7). Caninius autem utrum perstiterit in proposito an consilium abiecerit, ignoratur; sed Graeco carmine bellum Dacicum perscribere paravit saltem. Vid. VIII. 4.

32) *Dial. de oratt.* XXXV, his additis rationibus: „Nam in loco nihil reverentiae est, in quem nemo nisi aeque imperitus intrat, in condiscipulis nihil profectus, cum pueri inter pueros et adulescentuli intér adulescentulos pari securitate et dicant et audiantur; ipsae vero exercitationes magna ex parte contrariae."

33) Cf. Plinius *Epp.* III. 3. 3 sqq. Ingenia in scenis rhetorum obtundi, corroborari impudentiam, apud Ciceronem *de Orat.* III. 24. 93 Crassus affirmat; quo respexit l. l. Tacitus.

34) Quintil. II. 2. 10, 12.

35) Cf. Gellius *N. A.* I. 9.

36) Petronius *Sat.* III, qui in sequentibus maiorem culpae partem ad parentes transfert, etiam a Iuvenale *Sat.* VII. 154 sqq. notatos. Neque alio pertinent quae dicuntur a Quintiliano X. 1. 125 sq.

37) Seneca *Exc. Controv.* III. p. 363 sq. ed. Bursian, ex cuius recensione efficio, nihil variare codices in vulgata lectione: „ex consuetudine sua *miratus* dicebat." Quas quidem ineptias non facile erit qui explicet. Quod *praefatus* scripsi, eo utique rei vis nulla infertur: *praefationibus* enim uti communis ferebat rhetorum *consuetudo.* Vid. Plin. *Epp.* II. 3. 1; IV. 11. 2, 4; coll. Gell. *N. A.* IX. 15. Quamquam nunc quidem tumidam et elatam Cestii orationem cogitanti in vocabulo *miratus* aliud latere videtur. Ne multa, scripserim *inflatus.* Cf. v. c. Quintil. *I. O.* XII. 10. 16: „Attici pressi et integri, Asiani *inflati* et inanes."

38) Petronius *Sat.* I: „Ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, quae in usu habemus, aut audiunt aut vident; sed piratas cum catenis in litore stantes; sed tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis, ut patrum suorum capita praecidant; sed responsa in pestilentia data, ut virgines tres aut plures immolentur; sed mellitos verborum globulos, et omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa. Qui inter haec nutriuntur, non magis sapere possunt, quam bene olere qui in culina habitant." Simillima declamationum scholasticarum argumenta commemorant Quintil. II. 10. 3 sqq., Tacit. *Dial. de oratt.* XXXV et Iuvenalis *Sat.* VII. 150 sqq.

39) Quintil. VIII. 5. 2, 13.

40) *Dial. de oratt.* XXVI.

41) Est hac de re elegantissimus locus in *Dial.* XXXII, ubi Messala: „Oratorem non posse aliter existere nec extitisse umquam confirmo, nisi eum, qui tamquam in aciem omnibus artibus armatus exierit. Quod adeo neglegitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum huius quoque cotidiani sermonis foeda ac pudenda vitia deprehendantur; ut ignorent leges, non teneant Senatusconsulta, ius civitatis ultro derideant, sapientiae vero studium et praecepta prudentium penitus reformident, in paucissimos sensus et angustas sententias detrudant eloquentiam velut expulsam regno suo, ut quae olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa et amputata, sine apparatu, sine honore, paene dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis discatur."

42) *Dial.* XXXVI.

43) Enucleatius rem exponit Plinius *Epp.* II. 14.

44) Seneca *Ep.* CIX. Cf. eius *Ep.* V, LXXVI, LXXXVIII.

45) Legitur haec e Stoicorum placitis repetenda sententia apud Plinium, *Epp.* I. 22. 10, quacum operae est pretium conferre eiusdem *Epp.* I. 12, scriptam de morte voluntaria Corellii Rufi.

46) Cic. *de Off.* III. 17. 69.

47) Auctorem secutus sum Tacitum, *Dial.* XXVIII, quo loco causas explicaturus est, quibus factum sit ut eloquentia et ceterae artes liberales a vetere gloria desciverint. Conferri possunt quae scribit Plinius *Epp.* VII. 14. 3 sqq.

48) Iuvenalis *Sat.* X. 78 sqq.

49) *Dial. de oratt.* XXIX. Iisdem rationibus motus Plinius quoque in ludos Circenses invehitur, quorum studio captos aequales suos, graves etiam viros, vehementer dolet, *Epp.* IX. 6. Sed in primis memorabilia sunt, quae de sublato Viennensium agone gymnico refert *Epp.* IV. 22. Hoc enim certamen quum Trebonius Rufinus in Duumviratu suo abolendum curavisset, Iunius Mauricus, in cognitione Traiani rogatus sententiam, restituendum Viennensibus agona negavit, adiiciens: *Vellem etiam Romae tolli posset!* „Placuit agona tolli, qui mores Viennensium infecerat, ut noster hic omnium. Nam Viennensium vitia intra ipsos residunt, nostra late vagantur: utque in corporibus, sic in imperio, gravissimus est morbus, qui a capite diffunditur."

50) Apparet ex Plinii *Panegyr.* XLVI: „Quis terror valuisset efficere, quod reverentia tui effecit? Obtinuit aliquis, ut spectaculum pantomimorum populus Romanus tolli pateretur? Sed non obtinuit, ut vellet. Rogatus es tu, quod cogebat alius, coepitque esse beneficium, quod necessitas fuerat. Neque enim a te minore concentu ut tolleres pantomimos, quam a patre tuo ut restitueret, exactum est. — Idem ergo populus ille, aliquando scenici Imperatoris spectator et adplausor, nunc in pantomimis quoque aversatur et damnat effeminatas artes et indecora seculo studia."

51) Iuvenalis *Sat.* XI. 165 sq., quo loco incredibilem paene obscoenitatem et turpitudinem pantomimorum, quos Gadibus potissimum in Urbem arcessebant, claris coloribus pinxit. Eorundem memor fuit Martialis *Epigr.* V. 78; XIV. 203.

52) Cf. Adnot. 6.

53) Ennius ap. Cic. *Cat. Mai.* V. 14.

54) Usus sum loco Tulliano, qui est *de Off.* I. 6. 2.

55) Cicero *N. D.* I. 5. 10.

SERIES LECTIONUM,

IN

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

HABENDARUM, POST FERIAS AESTIVAS ANNI CIƆIƆCCCLVIII.

FACULTAS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. H. STUFFKEN Logicam tradet, die Iovis, ...	hora IX,
et die Veneris, ...	XI et I.
Metaphysicam docebit, diebus Martis et Mercurii, ...	X.
Historiam Philosophiae explicabit, diebus Lunae et Iovis, . .	XII.
Paedagogicam exponet, diebus et horis Auditoribus commodis.	
I. BAKE, quantum poterit et licebit, auctoritate et consilio adiuvare conabitur eos, qui in Literarum Humaniorum studiis versantur.	
A. RUTGERS IESAIAE et NAHUMI *Vaticinia* et *Psalmos* selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis, ...	IX,
et die Mercurii, ...	VIII.
Secundum SAMUELIS *Librum* cursoriâ lectione tractare perget, die Martis, ...	I,
et die Iovis, ...	XII.
Antiquitates Israëlitarum explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ...	XII.
Grammaticam Sanscritam docebit, die et horis Auditoribus commodis.	

T. G. I. IUYNBOLL Sermonis Hebraei elementa tradet, cum Grammatica explicanda, tum analyticis Exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... hora VIII.
Literarum Arabicarum, Chaldaïcarum et Syriacarum initia docebit (duce Cl. ROORDA, WINERO, UHLEMANNO), die Iovis, I,
et diebus Veneris et Saturni, ... VIII.
Cum provectioribus Discipulis *Chrestomathiam Arabicam*, a Doct. FR. A. ARNOLDO editam, leget, die Lunae, ... II.
Coranum, die Mercurii, ... II.
In *Codd. MSS. Arab.* legendis et interpretandis cum iisdem operam ponet, die Veneris et Saturni, ... II.

C. G. COBET interpretabitur ARISTOPHANEM, DEMOSTHENEM, HERODOTUM et HOMERUM, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... X.
Cum provectioribus leget PLATONEM et SOPHOCLEM, diebus Iovis et Veneris, ... I.
Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii, XII.
Artem metricam docebit, diebus Iovis et Veneris, ... XII.
Scholas paedagogicas habebit, diebus Martis et Iovis, . . . II.
Initia Palaeographiae Graecae Candidatis Literarum explicabit, diebus Veneris et Saturni, ... IX—XI.
Disputandi exercitia publica moderabitur, die Iovis, ... XI.

R. P. A. DOZY Historiam universalem explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Varios locos historiae aevi medii et historiae recentioris exponet, diebus Iovis et Veneris, ... X.
Al-Makkarium interpretabitur, die Iovis, ... I—III.
Codices Arabicos manu scriptos, die Veneris, ... I—III.

M. DE VRIES Historiam Patriae tradet, die Mercurii, ... I,
et diebus Iovis et Veneris, ... II.
Linguam Literasque patrias explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... II.
Linguam Literasque patrias medii aevi explicabit, diebus Martis et Iovis, ... III.
Linguam Literasque patrias saeculi XVII explicabit, die Lunae, I.

Exercitia oratoria moderabitur, die Veneris, ... hora I.
Linguam Gothicam tradet, et carminum medii aevi interpretationem criticam provectiores docebit, die Martis, hora vespertina, ... VI—IX,
et die Saturni, ... II.

I. G. HULLEMAN interpretabitur *Elegos* Tibulli, Taciti *Vitam Agricolae* et Ciceronis *Orationem pro Sex. Roscio Amerino*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... IX.
Praecepta artis Latine scribendi tradet, diebus Lunae et Martis, XI.
Antiquitates Atticas explicabit, die Iovis, ... IX,
et die Veneris, ... XI.

FACULTAS MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN Pathologiam docebit, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, ... I.
Medicinam practicam cum exercitatione in Nosocomio academico, quotidie, ... XI.
Historiam Medicinae tradet, diebus Lunae et Martis, ... I.

G. C. B. SURINGAR Therapiam generalem docebit, diebus Martis et Iovis, ... XII,
et die Saturni, ... IX.
Pharmacognosin et naturalem remediorum Historiam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... XII.
Therapeuticum remediorum usum indicabit, diebus Mercurii et Veneris, ... IX.
Doctrinam morborum singularium tradet, diebus Lunae, Martis et Iovis, ... IX.
Praxin medicam ad lectulos aegrotantium moderabitur, diebus singulis, ... X.

F. W. KRIEGER Theoriam Disciplinae chirurgicae exponet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... VIII.
Exercitationibus clinicis, in Nosocomio academico habendis, vacabit, diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, ... XII.
Collegio casuali, diebus Martis et Veneris, ... XII—III.

Operationes chirurgicas demonstrabit, horis deinde indicandis.
Doctrinam de morbis oculorum exponet, die Saturni, . hora X—XII.
Medicinam forensem, diebus Lunae et Iovis, ... I.
Anthropologiam medico-forensem docebit, die Veneris, . . . II.

A. E. SIMON THOMAS Theoriam artis obstetriciae exponet, diebus Martis, Iovis et Saturni, ... VIII.
Exercitationibus clinicis, Nosocomio academico habendis, vacabit, quotidie, ... IX.
Doctrinam Operationum tradet, et Operationibus obstetriciis, tum in pelvi factitia, tum in cadavere instituendis, praeerit, die Mercurii, ... I.
Gynaecologiae et Gynaecopathologiae capita selecta tradet, die Lunae, ... II.
Praxin obstetriciam, tum in Nosocomio academico, tum in Policlinico obstetricio, quoties necesse erit, moderabitur.

H. HALBERTSMA, JUST. FIL., Anatomiam specialem et practicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, . . X.
Physiologiam, experimentis et observationibus microscopicis illustratam, iisdem diebus, ... IX.
Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore, . . XI—III.

FACULTAS IURIDICA.

H. G. TYDEMAN, Emeritatum nactus et cessans a Praelectionibus, non tamen cessabit in studiorum suorum fructu lubenter communicando.

C. I. VAN ASSEN, Emeritus, Ciceronis locos selectos ad ius civile eiusque historiam pertinentes interpretabitur, hora auditoribus commoda.

H. COCK tradet Ius criminale, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... IX.
Ius publicum et gentium, diebus Lunae, Martis et Mercurii, X.
Ius naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Ordinem Iudiciorum criminalium, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.

I. DE WAL Historiam Iuris Romani enarrabit, diebus Martis, Mercurii et Iovis, ... hora IX.
Encyclopaediam et Methodologiam Iuris explicabit, iisdem diebus, ... X.
Ius mercatorium exponet, die Iovis, ... XII,
et die Veneris, ... IX et X.

S. VISSERING Statisticam Patriae explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Historiam Europae diplomaticam, iisdem diebus, ... I.
Oeconomiam politicam, die Iovis, ... XI et I,
et die Veneris, ... XI.
Disputandi exercitia moderabitur, die Veneris, ... I.
Vacanti cathedrae ubi prospectum erit, caeterae lectiones ad valvas Academiae indicabuntur.

FACULTAS THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL, provectae aetatis causa rude donatus, quantum per vires licebit, Academiae alumnis prodesse conabitur.

N. C. KIST Historiam ecclesiasticam docebit, imprimis *recentiorem*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
Christianae Morum Disciplinae partem exponet *theoreticam* et *practicam*, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... XI.
Scriptorum Ecclesiasticorum, maxime *Belgicorum*, Historiam tradet, diebus Iovis et Veneris, ... XII.
Artis Christianae historiam explicabit, die Martis, ... XI.
Orationibus sacris praeërit, die Martis, ... II.

I. H. SCHOLTEN Dogmatices Christianae partem posteriorem explicare perget, diebus Martis et Iovis, ... XI,
et diebus Iovis et Veneris, ... X.
Introitum in libris N. T. tradet, diebus Lunae et Iovis, . . . I.
Theologiam naturalem docebit, enarranda historia philosophiae de Deo, praesertim antiqua, diebus Martis et Veneris, I.
Orationibus sacris praeërit, diebus et horis sibi et Candidatis Theologiae commodis.

A. KUENEN Theologiam V. T. sive historiam religionis Israëliticae exponet, die Lunae, ... hora X,
et die Iovis, ... VIII.
De Israëlitarum historia aget, die Mercurii, ... II.
Encyclopaediam et Methodologiam Theologiae tradet, die Merc., I,
et die Veneris, ... VIII.
Orationibus sacris praeërit, diebus et horis sibi et Candidatis Theologiae commodis.

I. I. PRINS Historiam passionis Iesu Christi, secundum narrationem Ioanneam, collatis Synopticorum Euangeliis, explicabit, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, ... IX.
Theologiae Practicae partem homileticam et pastoralem tractabit, diebus Martis et Mercurii, ... X.
Exercitationes tam catecheticas quam homileticas moderabitur, diebus Lunae et Martis, ... II.
Orationibus sacris habendis praeërit, diebus et horis sibi et Theologiae Candidatis commodis.

*** Publice disputandi exercitationibus praeërunt N. C. KIST, I. H. SCHOLTEN, A. KUENEN et I. I. PRINS, die Veneris, . II.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

J. VAN DER HOEVEN Zoologiam et Anatomen comparatam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, ... XI.
Mineralogiae et Geologiae elementa exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... II.
Anthropologiam et generis humani Historiam naturalem docebit, diebus Martis et Iovis, ... I.

A. H. VAN DER BOON MESCH Chymiam corporum organicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... IX.
Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit, iisdem diebus, XI.
Artem pharmaceuticam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... XII.
Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Iovis, ... XII.

Experimenta instituendi artem docebit et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.

Cum Studiosis provectioribus de Physiologia chymica colloquetur, die Veneris, hora vespertina, ... hora V—VIII.

G. I. VERDAM Elementa Geometriae planae et Trigonometriam planam tradet, die Iovis, ... X,

et die Veneris, ... IX et X.

Stereometriam et Trigonometriam sphaericam docebit, diebus Martis et Iovis, ... VIII.

Calculum Differentialem et Integralem itemque Mechanicam tractabit, diebus et horis deinde indicandis.

Scholas paedagogicas habebit, die Lunae, hora commoda.

F. KAISER Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, ... IX.

Astronomiam practicam, iisdem diebus, ... X.

Astronomiam, quam popularem vocant, tradet, diebus Lunae et Iovis, hora vespertina, ... V.

Arithmeticam universalem tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... II.

Singulos suos Auditores ad coelum tubi optici ope perlustrandum aptis temporibus evocabit.

Artis observandi Exercitiis quotidie praeërit.

G. H. DE VRIESE in India versante, illius scholas habebit W. F. R. SURINGAR, Prof. extraord.

P. L. RIJKE Physicam experimentalem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, ... XII.

De physices capitibus selectis latius et fusius disseret, diebus Lunae et Mercurii, ... X.

Physicam mathematicam tradet, diebus Lunae et Veneris, . . III.

Exercitiis physicis practicis praeërit quotidie.

W. F. R. SURINGAR, Prof. extraord., morphologiam, anatomiam et physiologiam plantarum exponet, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, I.

Phytographiam et taxonomiam plantarum docebit, diebus Lunae et Martis, ... I,

et diebus Iovis et Veneris, ... hora II.
(tempore tamen hiberno solis diebus Lunae et Martis).
Historiam plantarum medica virtute praeditarum et pharmacognosin regni vegetabilis tradet, horis auditoribus commodis.
Exercitiis practicis in structura plantarum ope microscopii exploranda praeërit, horis postea indicandis.
Praeërit excursionibus botanicis.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Professoris Extraordinarii ornatus, Numismaticam universalem docebit, diebus et horis, quae Auditoribus convenient.

I. A. BOOGAARD, Med. Doct., Prosector, Anatomiam pathologicam docebit, die Iovis, ... II—IV.
Anatomiam generalem, demonstrationibus microscopicis illustratam, exponet, die Veneris, ... II—IV.
Excercitiis practicis in Microscopii usu praeërit, horis Auditoribus commodis.
Vincturarum et fasciarum Doctrinam demonstrabit, horis deinde indicandis.

C. A. X. G. F. SICHERER, Literarum Germanicarum Lector, selecta principum Poëtarum germanicorum carmina interpretari paratus est, simul id acturus, ut his ipsis exemplis varia Poëseos genera explicet Auditoribus.
Si qui sint linguae Germanicae minus periti, qui Grammaticam doceri cupiant, his quoque lubentissime vacabit.

H. ATTWELL, Literarum Anglicarum Lector, poëtas Anglicos qui Elisabethae reginae tempore floruerunt interpretabitur, horis Auditoribus commodis.
Idem minus provectos privatim instituere paratus est.

C. G. LOKKERS, Academicus Artis gladiatoriae Magister, aptum et elegantem gladii usum docebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DIE XXXI DECEMBRIS ANNI CIƆIƆCCCLVIII.

In	Facultate	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .	27.
〃	〃	Medica	95.
〃	〃	Iuridica	219.
〃	〃	Theologica	158.
〃	〃	Math. et Phil. Nat.	12.
			511.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum, in Athenaeis studiis operam navantium, relata sunt, eo consilio, ut hic examinentur et Doctores creentur, quorum:

In	Facultate	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .	8.
〃	〃	Medica	49.
〃	〃	Iuridica	46.
〃	〃	Theologica	31.
〃	〃	Math. et Phil. Nat.	5.
			139.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

A DIE VIII M. FEBRUARII CIƆIƆCCCLVIII AD DIEM IX M. FEBRUARII CIƆIƆCCCLIX.

Die 1 Martii. LUDOVICUS IANUS HERCKENRATH, Amstelodamensis, defensa *publice* dissertatione continente: *bijdrage tot de kennis van den bouw en de verrigting der vesicula seminalis*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 9 Martii. PHILIPPUS CATHARINUS ELISA SPECHT GRIJP, Thielensis, *publice* defensa dissertatione: *over de wraking van den regter*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 12 Martii. IACOBUS VAN KAATHOVEN, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Chir. Doctor.

D. 15 Martii. C. P. POUS KOOLHAAS, Med. et Art. Obst. Doctor, defensis thesibus, Art. Chir. Doctor.

Eodem die. GUILIELMUS ANTONIUS SCHEURLEER, Amstelodamensis, *publice* defensa dissertatione: *de Demetrio Magnete*, Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. Doctor, *magna cum laude.*

D. 16 Martii. EUGENIUS IOSEPHUS DE PREZ, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 26 Martii. IOANNES CLEMENS HUBERTUS ALOYSIUS VAN NISPEN TOT SEVENAER, Leomerico-Gelrus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 27 Martii. FREDERICUS GERHARDUS ALBERTUS IONGKINDT CONINCK, *publice* defensa dissertatione continente: *beschrijving van longontsteking*, enz., Med. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. LUDOVICUS CORNELIUS VAN GENK, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

9*

Eodem die. BRUININGIUS STEPHAN, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 17 Aprilis. GILIAMUS RUDOLPHUS LEMKE, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 19 Aprilis. REINHARDUS IACOBUS LAMBRECHTS, Amisfurtanus, *publice* defensa dissertatione: *de Platonis sententia de animi libertate*, Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. Doctor, *magna cum laude.*

D. 24 Aprilis. IOHANNES PETRUS BERDENIS VAN BERLEKOM, Medioburgensis, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 27 Aprilis. LEONARDUS ISAÄCUS HENRICUS PHILIPS, Zalt-Bommeliensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 30 Aprilis. PETRUS HOOGVLIET, Delfensis, *publice* defensa dissertatione: *de vita et scriptis Heraclidae Pontici*, Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. Doctor, *magna cum laude.*

D. 3 Maii. ARENTIUS SNELTJES, e pago Abcoude, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 6 Maii. BALTUS VAN DE WATER, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Pharm. Doctor.

D. 7 Maii. ABRAHAMUS HENRICUS RENATUS EMILIUS BOUSQUET, Mosa-Traiectinus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 12 Maii. DIDERICUS ENGELBERTUS GUILIELMUS WOLF, Zwollanus, *publice* defensa dissertatione continente: *observationes de textu Masorethico Veteris Testamenti comparato cum versione Graeca Alexandrina*, Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. EDUARDUS SALOMON VAN RAALTE, Amstelodamensis, *publice* defensa dissertatione: *over de magt, die den regter ambtshalve in strafzaken toekomt*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 15 Maii. ELIZA VAN DER VEN, *publice* defensa dissertatione continente: *eenige beschouwingen over de potentiaal-functie*, Math. Mag. Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude.*

D. 17 Maii. FREDERICUS PLATE, ex insula Sumatra, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 21 Maii. IANUS VAN DER HOEVEN, IANI filius, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doct.

D. 27 Maii. ANNE MARIE MAAS GEESTERANUS, Delfensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 31 Maii. IANUS VAN DER HOEVEN, IANI filius, Med. et Art. Obst. Doctor, defensis thesibus, Art. Chir. Doctor.

D. 5 Iunii. CAROLUS CORNELIUS IACOBUS TEERLINK, defensa dissertatione continente: *de bepaling van de anorganische bestanddeelen der planten*, Math. Mag. Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude.*

D. 7 Iunii. HENRICUS GOEMANS, ex urbe Zierikzee, defensa dissertatione continente: *drie ziektegevallen, door den schrijver waargenomen*, Med. Doctor, *magna cum laude.*

D. 9 Iunii. IOANNES MATTHIAS EUGENIUS VAN OPPEN, Heerlenensis, defenso specimine: *de controversiis Ictorum in Dig. libris XXX—XXXII*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 11 Iunii. BALTUS VAN DE WATER, Med. et Art. Pharm. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

Eodem die. DANIEL ADRIANUS VAN LIMBURG STIRUM, Lugduno-Batavus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. PETRUS VAN WESSEM, Tiela-Gelrus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 12 Iunii. IANUS MULDER, Med. et Art. Obst. Doctor, defensis thesibus, Art. Chir. Doctor.

D. 14 Iunii. A. I. I. BIESMAN SIMONS, Amstelodamensis, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Chir. Doctor.

Eodem die. IOANNES ADRIANUS VORSTMAN, Roterodamensis, *publice* defensa dissertatione cui titulus: *gemeenschap van winst en verlies, enz.*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. IANUS HENRICUS BROERS, e pago Obdam, defensa dissertatione continente: *twee gevallen van scheurbuik door den schrijver waargenomen*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 15 Iunii. GUILIELMUS HERMANNUS ENGELMANN, e pago Keppel Gelrus, *publice* defenso specimine exhibente: *Al-Hādirae Diwānum, Arabice editum, versione latina et annotatione illustratum*, Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. Doctor, *magna cum laude.*

D. 18 Iunii. CAROLUS GUILIELMUS THALMAN BICCARD, e Promontorio

Bonae Spei, *publice* defensa dissertatione: *over tracheotomie bij croup*, Med. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. IOANNES FRANCISCUS BENIAMINUS BAERT, e pago Harmelen, defensa dissertatione de: *Adam Smith en zijn onderzoek naar den rijkdom der volken*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. IANUS GUILIELMUS BIJLSMIT, Amstelodamensis, *publice* defensa dissertatione: *over de lijkverstijving*, Med. Doct. *cum laude.*

D. 23 Iunii. FERDINANDUS PETRUS IOANNES DE SAIN, Lugduno-Batavus, defensa dissertatione: *de legibus Neerlandicis ab exteris prae sermonis proprietatum ignoratione parum intellectis*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 24 Iunii. MELCHIOR VAN DEN HEUVELL, Roterodamensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. GUSTAVUS FREDERICUS SICHEL, Amstelodamensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 26 Iunii. CORNELIUS PAULUS ELZELINUS HANEGRAAFF, Roterodamensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. GUILIELMUS VAN LENNEP, Amstelodamensis, *publice* defensa dissertatione: *de iure asyli*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. GUILIELMUS CORNELIUS SCHILLEMANS, e pago Oosterhout, defensa dissertatione continente: *drie heelkundige ziektegevallen*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 29 Iunii. MATTHEUS ENGELHARDUS ANDREAS, Samarangensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. DOEKE HELLEMA, H. filius, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Chir. Doctor.

Eodem die. MAURITIUS P. SCHLESINGER, Sylva-Ducensis, defensa dissertatione cui titulus: *de schuldvergelijking volgens het Nederlandsche regt*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 30 Iunii. RIJKLOF GUILIELMUS VAN GOENS, defensa dissertatione cui titulus: *over tandvormen van raderwerken*, Math. Mag. Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude.*

D. 1 Iulii. I. WIGGERTS VAN NAUTA, Rauwerda-Frisius, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. THOMAS VAN STOLK, Roterodamensis, *publice* defensa dissertatione: *de stelsels der staathuishoudkundigen omtrent grondrente ontvouwd en beoordeeld*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 2 Iulii. WILLEBRORDUS NICOLAUS KOENE, Harlemensis, *publice* defensa disputatione: *behelzende een ziekteverhaal en eenige uitgewerkte stellingen*, Med. Doctor.

Eodem die. GODEFRIDUS ANTONIUS HUBERTUS LOIX, ex pago Stratum, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. HENRICUS ROODHUYZEN Ir., e pago Oosterbeek, *publice* defensa dissertatione continente: *het leven van Guilhelmus Gnapheus*, Theol. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. SALOMON BACKER, Amstelodamensis, *publice* defensa dissertatione continente: *levens- en karakterschets van Mr. Ioachim Rendorp Vrijheer van Marquette*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. BERNARDUS MATTHIAS SWART, Mosa-Traiectinus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 3 Iulii. ABRAHAMUS STERK, Amstelodamensis, defensa dissertatione continente: *twee waarnemingen van gestoorde baring door bekkenvernaauwing*, Med. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. IOHANNES ALBERTUS VAN DISSEL s. filius, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 13 Septembris. HENRICUS GORMANS, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 21 Septembris. GUILIELMUS ARNOLDUS PETRUS VERKERK PISTORIUS, e pago Velp, *publice* defensa dissertatione: *de bepalingen der wet van 23 December* 1837 (*Stbl.* N°. 78) *omtrent het huwelijk enz.*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. ANTONIUS IANUS HOVY, Amstelodamensis, *publice* defensa dissertatione: *de beginselen van het internationaal wisselregt*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 23 Septembris. IANUS WIARDA, Amstelodamensis, *publice* defensa dissertatione de: *Huibert Duifhuis de prediker van St. Jacob*, Theol. Doctor, *magna cum laude.*

D. 27 Septembris. IANUS VAN HULST, Bolswardensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 2 Octobris. PETRUS MARTINUS SIMON KROS, e pago Spaarnwoude, defensa dissertatione: *over het scheef vernaauwde bekken en zijne herkenning bij het leven*, Med. Doctor, *magna cum laude.*

D. 8 Octobris. RUDOLPHUS THEODORUS BIJLEVELD, Haganus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 18 Octobris. ROCHUS KRUL, Med. Doctor, Haganus, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 22 Octobris. NICOLAUS HOFFER DE KANTER, e pago Alphen, defensa dissertatione: *over de verpleging der zuigelingen*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 25 Octobris. FREDERICUS GUILIELMUS MARINUS HOOGENSTRATEN, Leidensis, *publice* defensa dissertatione: *over de scabies*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 1 Novembris. FREDERICUS GERHARDUS ALBERTUS IONGKINDT CONINCK, e pago Aarlanderveen, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 8 Novembris. LUDOVICUS CORNELIUS DRIEBEEK, Roterodamensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. IAÄCUS LÉON, Haganus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 12 Novembris. PETRUS MARTINUS SIMON KROS, e pago Spaarnwoude, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Chir. Doctor.

Eodem die. PETRUS MARTINUS SIMON KROS, e pago Spaarnwoude, Med. et Art. Chir. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 17 Novembris. GERARDUS IOANNES GUSTAVUS MINDEROP, Roterodamensis, defensa dissertatione: *twee ziektegevallen door den schrijver waargenomen*, Med. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. HENRICUS IOHANNES SLEURS, Roterodamensis, defensa dissertatione: *het moerasgif en zijne hygieine*, Med. Doctor, *magna cum laude.*

D. 25 Novembris. IOHANNES PETRUS BERDENIS VAN BERLEKOM, Medioburgensis, Med. et Art. Obst. Doctor, defensis thesibus, Art. Chir. Doctor.

Eodem die. IACOBUS ENSCHEDÉ, IANI IUSTI filius, Harlemensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude*.

D. 26 Novembris. PETRUS ADRIANUS MATTHES, Zalt-Boemeliensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

Eodem die. HENRICUS FREDERICUS CORNELIUS ENGELBRECHT, ex insula Iava, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

D. 8 Decembris. FREDERICUS HENRICUS IOSEPHUS DE BIEBERSTEIN, Ultraiectinus, *publice* defensa dissertatione continente: *bijdrage tot de kennis der geldmiddelen van de gemeenten in de provincie Limburg*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

D. 14 Decembris. DIDERICUS DE LOOS, Roterodamensis, *publice* defensa dissertatione continente: *historisch-kritische beschouwing der glucosiden*, Math. Mag. Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude*.

D. 15 Decembris. GUILIELMUS FREDERICUS BÜCHNER, Goudanus, defensa dissertatione: *over coremorphosis*, Med. Doctor, *cum laude*.

D. 16 Decembris. ADRIANUS CORNELIUS IOHANNES VAN DER DRIFT, Flaredingensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

D. 17 Decembris. GUILIELMUS ADRIANUS LUDOVICUS DOMIS, Amstelodamensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

D. 18 Decembris. STEPHANUS IACOBUS VAN ROYEN, Groningensis, Math. Mag. Phil. Nat. Doctor, *publice* defensa dissertatione: *over de diagnostiek van gelen typhus*, Med. Doctor, *magna cum laude*.

D. 22 Decembris. BALTUS VAN DE WATER, Med. Art. Pharm. et Art. Obst. Doctor, defensis thesibus, Art. Chir. Doctor.

D. 12 Ianuarii 1859. CHRISTIANUS ALBERTUS TEBBENHOFF, e pago Poortugal, defensa dissertatione qua continentur *observationes in Thycididis Bellum Peloponnesium*, Phil. Theor. et Lit. Hum. Doctor, *cum laude*.

D. 20 Ianuarii. SERVATIUS HENRICUS LOTSY, Dordracensis, *publice* defensa dissertatione: *over de reederijen*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude*.

D. 2 Februarii. BENNIUS COHEN, Stenovicensis, defensa dissertatione: *over lijfsdwang in handelszaken*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude*.

D. 4 Februarii. GIJSBERTUS WALLER, Amstelodamensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 5 Februarii. ANTONIUS KIST, N. C. filius, Leidensis, defensa dissertatione: *over de ongelijke verwarming aan de poolplaten van een ontledings-toestel*, Math. Mag. Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude*.

D. 7 Februarii. FREDERICUS GERHARDUS ALBERTUS IONGKINDT CONINCK, ex pago Aarlanderveen, Med. et Art. Obst. Doctor, defensis thesibus, Art. Chir. Doctor.

HONORIS CAUSA.

D. 16 Junii. Celsissimus Regiusque GUILIELMUS NICOLAUS ALEXANDER FREDERICUS CAROLUS HENRICUS, Princeps Arausiacus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

ACADEMIA

RHENO-TRAIECTINA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. XXVII M. MARTII A. CIϽIϽCCCLVIII AD D. XXVIII M. MARTII A. CIϽIϽCCCLIX

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

PETRUS HARTING.

SENATUS ACADEMICI GRAPHIARIUS

IACOBUS LUDOVICUS CONRADUS SCHROEDER VAN DER KOLK.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE (Emeritus die 1 m. Octobris).
R. VAN REES.
C. A. BERGSMA.
G. I. MULDER.
P. HARTING.
C. H. D. BUYS BALLOT.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

H. BOUMAN.
H. E. VINKE.
B. TER HAAR.

IN FACULTATE IURIDICA.

A. C. HOLTIUS (Emeritus).
I. ACKERSDYCK.
G. G. VREEDE.
B. I. LINTELO DE GEER.
I. VAN HALL. (Obiit d. 19 m. Martii.)

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD (Emeritus).
L. G. VISSCHER. (Obiit die 26 m. Ianuarii.)
S. KARSTEN.
C. G. OPZOOMER.
I. A. C. ROVERS.
H. C. MILLIES.

IN FACULTATE MEDICA.

B. F. SUERMAN (Emeritus).
I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.
G. I. LONCQ, CORN. IAN. FIL.
F. C. DONDERS.
L. C. VAN GOUDOEVER.

LECTORES.

G. DORN SEIFFEN, Lit. Humaniorum. (Obiit die 16 m. Novembris.)
I. H. HISGEN, Lit. Germanicarum.
I. VENNING, Lit. Anglicarum.
I. W. GUNNING, Chemiae.

DOCTORES ACADEMICI.

A. C. OUDEMANS.
C. L. VLAANDEREN.

ORATIO

QUAM HABUIT

PETRUS HARTING,

D. XXVIII M. MARTII CIƆIƆCCCLIX,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

ACADEMIAE TRAIECTINAE CURATORES QUIQUE IIS AB ACTIS ES, PROFESSORES, ALUMNI, CUIUSCUNQUE ORDINIS ET LOCI AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Rectoris Magnifici, munere abeuntis, duplex est officium, alterum necessarium, voluntarium alterum. Nam articulus 251 *Decreti Regii de Institutione Superiore* iubet eum res Academiae, ipso Rectore, prosperas et adversas enarrare, et, si forte harum rerum commemoratio orationis amplitudinem assecutura non est, tum ei veniam dat eligendi argumenti peculiaris, de quo coram viris doctis verba faciat.

Equidem per maximam magistratus mei partem speravi fore ut mihi hac venia uti liceret. Sed spem, eheu! menses proxime elapsi fefellerunt, quin eam insigni cum dolore nostro attulerant dicendi copiam, ut, si vos argumenti e disciplina mea promti explicatione ad fata Academica audienda praepararem, non tantum patientia vestra abuti, sed etiam ipsi illi Decreti Regii articulo adversari mihi viderer.

Intelligitis quid velim. Extrema anni Academici pars minime sine clade nostra exacta est.

Et primum quidem in Curatorum Ordinem oculos convertens, desidero Virum Excellentissimum, qui superiore anno huius Collegii Praeses his solennibus interfuit, cuiusque ut viri virtutes exquisitas coluimus, sic mortui recordatione delectamur.

Neque tamen, Auditores humanissimi, a me exspectetis vitae descriptionem EWYCKIO, viro multis nominibus egregio, dignam. Et ego huic rei me imparem esse sentio, et vos intelligitis, temporis ad dicendum concessi fines angustiores esse, quam ut vita viri plurimis amplissimisque muneribus functi et de patria ad senectutem usque optime meriti plene digneque exponatur. Id ut aliquando fiat ab integro Ewyckianae vitae teste, mihi

in votis est. Ego quae de hac vita comperi, haec ea narrationis simplicitate vobiscum communicare conabor, ut imaginem viri desideratissimi non omnino requiratis.

DANIEL IACOBUS VAN EWYCK, dominus pagorum Oostbroek et de Bilt, die 13 m. Nov. A. 1786 Traiecti ad Rhenum ex illustri genere natus est. Pater enim, FLORUS PETRUS VAN EWYCK, eorundem pagorum dominus, ad annum 1795 consilio publico civitatis Traiectinae adscriptus fuit. Mater vero SARA MARIA DE LA COURT filia fuit PETRI DE LA COURT, Consulis Amstelodamensis, quem cognominem esse meminimus inclyti scriptoris de *politicis Hollandiae principiis*, familiarite iuncti IOANNI WITTIO.

EWYCKIUM non unum e multis futurum esse, iam eo tempore apparuit, quo literis doctrinisque in hac Academia operam dedit. Discendi avidus tenebat illud, veram humanitatem fundamento niti non minus amplo quam firmo. Literae et Historia gentium, disciplinae Mathematicae et Physicae, Philosophia et Iurisprudentia ei in deliciis erant, ingeniumque ad multiplicem illum cultum informabant et explicabant, quo ipse multique eius aequales conspicui fuerunt, quemque hodie in paucioribus animadverti dolemus. In his autem studiis, quantum se Praeceptoribus debere putaret, sermones indicarunt, quibus vir aetate provectior lubens HEUSDII, RHOERII et CALKOENII in ingenio suo excolendo merita celebrare solebat.

Quum per plures annos toto pectore in haec studia incubuerat, die 13 m. Febr. A. 1810 progressuum suorum specimen edidit, ex quo optime de eo sperare sive potius confidere licere periti harum rerum iudices effecerunt. Dissertationem dico *de comparata cognitionis in Mathesi et Philosophia indole;* qua Dissertatione a viginti-trium annorum iuvene, teste IODOCO HERINGA [1]), *magno cum audientium applausu* publice defensa, creatus ille est: *Artium Liberalium Magister et Philosophiae Doctor*.

Supererat, ut summos in utroque Iure honores peteret. Quos si cum defensis Thesibus Iuridicis consecutum esse dixero, non dubito quin non-

---

[1]) In Annotatis ad *Orationem de auditorio academiae rheno-traiectinae, variam olim fortunam experto, nunc praesenti eius conditioni adaptato*, dicta publice die 25 Martii A. 1825, pag. 207.

nulli hodiernum morem Thesium aliquot examini submittendarum et illius temporis auctoritate et egregii iuvenis exemplo comprobari gaudeant. Sed videant quam exigua sit gaudii causa, quantumque praestet in EWYCKII exemplum intueri. Hic enim, edito specimine philosopho, non censuit summos in Iurisprudentia honores sibi exiguo aut nullo labore comparandos esse, sed continuo Disputationis, quam aliquando publice defenderet, argumentum sibi tractandum sumsit, non tritum illud vel adeo exile ut curet nemo, sed gravissimum et in patria nostra tunc plerisque ignotum. Nam exponere constituit sententiam Malthi de augescente incolarum numero eiusque vi in civitatum felicitate. In hanc sententiam ille diligenter inquisiverat eamque ex vero aestimare coeperat. Sed propter novitatem placitorum, quorum etiam severitas metuebat ne pluribus displiceret quam placeret gravitas, omnia sibi accuratius exploranda et perpendenda esse statuit, antequam huius doctrinae interpres prodiret. In hac autem meditatione defixum alio avocarunt temporum momenta. Nam Academiis patriis a Francis *μεταμόρφωσιν* parari, Traiectinae interitum adeo imminere, primum dubia fama, mox nunciis fide dignis allatum est, quamobrem multi Iurisprudentiae studiosi, in quibus EWYCKIUS fuit, nihil prius habuerunt, quam ut instantem Academiae cladem Doctores Iuris acciperent. Hinc ille temporibus coactus et invitus et lugens patriae casum, Thesibus defendendis gradum Doctoratus consecutus est, paucis mensibus ante Decretum Imperatoris Napoleonis, quo ex quinque Academiis patriis Leidensis tantum et Groningana suum locum utcumque tenuerunt, Franequerana et Harderovicena sunt dèletae, Traiectina in *secundi ordinis scholam* commutata est.

Haud iucundum est illud vitae tempus, quo quis, peractis studiis academicis, suum in civitate locum obtinet et tanquam in medias res coniicitur. Multa saepe incidunt, de quibus nihil unquam monuerunt Praeceptores, in quibus tibi ipsi, ingenio, usu atque exercitatione nondum subacto relictus es, et, quantamcunque tibi parasti doctrinae copiam, pronum est falli. Atque haec ipsa vitae practicae studia quantum differunt saepe ab iis, in quae incubuit civis academicus! Ut haec ieiuna novo Doctori videntur nauseamque creant recordanti vitae illius, varietate et vigore et multiplici ingeniorum agitatione conspicuae! Hoc utriusque con-

ditionis discrimen, initio satis molestum, multi usu cognoverunt, cognovit quoque EWYCKIUS, quippe qui brevi post Academiae spatia honorifice decursa, quinto et vicesimo aetatis anno, ornatus est munere Graphiario secundi ordinis in Tribunali Traiectino. Eo munere functus est illo ipso tempore, quo leges Francicae nobis obtrusae sunt. Quarum quidem eae, quae spectabant publicam actorum perscriptionem et curam hypothecarum, plurimis ipsi constiterunt bonis horis. Ex his enim eius erat, referre acta tum antiquiora tum recentiora in suum singula indicem. Laborem dicas licet futilem, certe ingenio disciplinarum studiis culto parum dignum. Idem tamen, caeteris iunctus muneris officiis, non censendus est nullos ei fructus attulisse. Contra haec primum praepararunt eum et tamquam viam ei monstrarunt ad eam sibi paulatim comparandam rerum gerendarum peritiam, qua postea excelluit.

Quidquid autem EWYCKIO tunc peragendum erat ut munere suo rite fungeretur, florebat ille intelligentissimorum virorum gratia, qui etiam ingenii laudes doctrinamque eius tanti faciebant, ut eodem anno 1811 eum adscribendum curarent Societati Artium et Disciplinarum Traiectinae.

Per triennium in loco Tribunalis Traiectini inferiore positus, anno 1814 lectus est eiusdem Tribunalis Graphiarius. Sed aliquanto ante iugum servile, quod Franci nobis imposuerant, a cervicibus nostris deiectum erat. In iis, quibus servitus dura visa est et gratissima accidit patriae reddita *αὐτονομία*, EWYCKIUM fuisse, propter mores eius prorsus Nederlandicos, admodum credibile est. Quamquam quid suspicamur, ubi facta declarant viri in instaurata patria tuenda alacritatem? Quum enim ineunte anno 1815 liberum Baronem VAN LYNDEN VAN SANDENBURG, militiae urbanae Traiectinae Praefectum, ipse Subcenturio iuvabat in duabus militiae urbanae cohortibus conscribendis et ordinandis, extemplo nuncius allatus est: NAPOLEON BUONAPARTA Ilvam reliquit, — pedem posuit in ora Franciae, — copiae Francicae ad eum defecerunt, — venit Lutetiam Parisiorum, — in eo est, ut fines, quibus Francia modo conclusa est, superet, — denuo Europae formidinem nominis illius iniiciat, quod diu victoriae symbolum fuit et patriae nostrae iterum ruinam minabatur.

His auditis, facta sunt ea, quae quindecim annis post renovata sunt, et, quamdiu a maioribus non degeneraverimus, semper in rebus dubiis

eventura esse videntur. Certatim quisque arma capiebat, patriae, cui tyrannus iamiam immineret, tuendae causa. Voluntariorum copiae ex vario incolarum genere, e civibus quoque Academicis, prodibant, lectaeque e militia urbana cohortes ipsi exercitui praesto esse debebant. Iam in harum rerum communionem EWYCKIUS venit, tantique habitus, ut Centurio praeficeretur uni e manipulis urbanis Traiectinis, qui exercitui patrio adiungerentur.

Sed haec omnia quamquam celerrime parata erant, NAPOLEON tamen, nulla mora interposita, copias suas prius in aciem eduxerat, quam milites illi voluntarii eos in armorum usu progressus fecerant, ut socii periculorum et gloriae addi militiae Nederlandorum perpetuae possent. Vehementissimos Imperatoris, ad desperationem adacti, impetus una cum exercitibus foederatis reprimendi iis, in flagrantissima voluntate, defuit facultas. Et victoria in campis Waterlois reportata, omne Europae libertati imminens pulsum erat periculum.

Ab armorum strepitu vocatus est EWYCKIUS ad curam rerum, pacis ad vigorem suum indigentium, munusque gessit, cuius gravitatem temporum illorum momenta auxerunt.

NAPOLEON Academiam Traiectinam in eum locum detrudi iusserat, ut ea proxime ab interitu abesset. Sed ipsa ne malis cederet, fecerunt potissimum civium inprimisque decessorum nostrorum in munere Professorio fortitudo et prudentia. Iuribus avitis destituta, inque scholam secundi ordinis commutata, ea per quatuor fere annos usa erat conditione, cuius imaginem optime praebet chrysalis, ex qua aliquando papilio prodibit. Extrinsecus vitae indicia apparebant pauca, sed haec vita intus conclusa vigorisque plena erat.

Ruptis patriae vinculis, ipsa quoque ignominiosa vincula abiecit. Audita voce GUILIELMI I experrecta est ad vitam splendidiorem et suum sibi locum vindicavit in patriae nostrae Academiis. Adhuc resonare multorum auribus videbatur sonus tormentorum bellicorum, quae in campis Waterlois stragem ediderant, quum regium de Institutione superiori Decretum promulgabatur. Licet in hoc Decreto ratio haberetur eorum, quae ante instituta usuque diuturno probata erant, alia tamen mutata, amplificata et emendata, nova alia esse apparebant. Horum omnium inducendorum cura

mandata est Collegiis Curatorum, quorum illi, quod Academiae Traiectinae rebus prospiceret, ut EWYCKIUS ab Actis esset, Regi placuit.

Ecquis eo munere dignior aptiorque ad illud summa cum fide gerendum legi potuisset, difficile dictu. Per biennium EWYCKIUS, quidquid in ipso virium atque nervorum erat, contulit ad carissimae Academiae salutem promovendam. Exacto autem hoc temporis spatio, Hagam Comitum traductus est in ampliorem provinciam, quae uberrimam ei universae institutionis tuendae opportunitatem praeberet.

Scilicet anno 1817 Hagae partes administrationis publicae ita comparatae erant, ut separatus in iis locus esset *Institutioni*, *Artibus* et *Doctrinis.* Huic parti praefectus erat Vir Amplissimus REPELAER VAN DRIEL, eius autem scriniis praepositus est EWYCKIUS. Illo itaque tempore ea, quae ad civium ingenii animique cultum promovendum pertinent, suum sibi praefectum postulare censebantur. Verum tamen iusto celerius de hac sententia decessum est, et res sensim paulatimque in eum delapsa statum, quo iam a multis annis utimur, et universa institutio, appendicis alicuius instar addita curae illorum Virorum Excellentissimorum, qui regii sunt rerum regni domesticarum praefecti. Iam sequenti anno (1818) titulum mutare visum est, ita ut loquerentur: *Ministerium institutionis publicae, industriae nationis universae et coloniarum*, in qua rerum diversarum commixtione primum quidem locum tenebat institutio, sed nulla magnopere sagacitate opus erat ad suspicandum, iis, quae cum externa civium prosperitate cohaererent, brevi primas partes concessum iri. Ad annum 1824 EWYCKII, eo quem dixi titulo ornati, cura in his rebus versata est, Praefecto earum Viro Egregio ANTONIO REINHARDO FALCK; qui quum anno 1820 Vindobonae et anno 1824 Londini legatus degeret, bis EWYCKIUS ipsius diu absentis officia exsecutus est; quae quidem res eo tutius illi mandari potuit, quo pluris ipse faciebat FALCKII de rebus politicis sententiam.

Anno 1824 haec administrationis publicae pars abrogata et nomen *Institutionis* sublatum est ex Indice nominum, quibus variae huius administrationis partes insigniuntur. Et ipsa quidem relata est ad Praefecturam rerum regni domesticarum, ita tamen ut cura eius, quippe peculiari mandata magistratui, iustam agendi libertatem minime amitteret. Hic Magis-

tratus dicebatur: *Administrator Institutionis, Artium et Doctrinarum causa.* Fuit autem EWYCKIUS. Atque hîc non vereor, Auditores! ne quis vestrum a me dissentiat, statuente: cognitam perspectamque huius viri peritiam peculiaris eiusmodi et suis viribus nixae administrationis Regi, cuius gratia ille magnopere florebat, commendaturam fuisse huius muneris utilitatem. Quod sane eo lubentius a Rege institutum esse arbitror, quoniam, quidquid errorum huic Principi iure obiicitur, eum studio populi excolendi et pulcri amore imbuendi eximio fuisse constat.

Pervenimus ad vitae Ewyckianae partem gravissimam et laboriosissimam.

Ardore flagrans pulcherrimae, quae ei mandata erat, rei rite curandae, ingenio praeditus perspicaci accurataeque scientiae varietate excellens, singulari prudentia et fide commoda explorabat et promovebat institutionis tam inferioris quam superioris. Quaecunque in regionibus exteris sapienter excogitata neque aliena erant a nostratium moribus, huc transferebantur. Ipso suasore saluberrima tum decreta fiebant, tum instituta prodibant. Hinc summam apud optimum quemque gratiam iniit et conatus illi assidui cultus atque humanitatis augendae in eorum ore erant. Verum tamen in hac ipsa grati animi significatione non deerant voces contra sentientium. Nec mirum. Illi enim quorum intererat ignorantiae tenebras haud pelli, non poterant non eius consiliis adversari. Primum si quid dissensionis aut inimicitiarum erat, ad paucorum notitiam perveniebat, sed sensim illud foras prodibat et gravium difficultatum fons erat. EWYCKIUS iam diu intelligens, ignem doloso sub cinere latere, tempora postulare censebat, ut civitatis gubernatores nonnihil de via, quam inierant, decederent. Quamquam in multis dissentiens a Viro Excellentissimo VAN MAANEN, Regis rerum iudicialium praefecto, in reprehensionis tamen, qua hic a Belgii delegatis peti solebat, communionem venit. Omniumque maxime illi, quibus decreta Clericorum medullis infixa erant, indignabantur, curam institutionis popularis esse penes virum avitis Nederlandorum moribus praeditum aliisque sacris addictum, etsi opinionum de rebus sacris dissensionem ea, qua par erat, sapientia ferentem.

Relinquimus Bibliothecam salutem plurimam impertientes honestissimo ADERIO, custodi illius per quadraginta annos peritissimo librorumque olim ex aede Sancti IOHANNIS in praesentem locum translatorum comiti fidissimo.

E locis illis, quibus ante hos quinquaginta annos in aula regis LUDOVICI festa celebrari solebant musica, choreutica et sacra, si nos conferimus in Senaculum, quantum continuo animadvertitur discrimen! Videris tibi e lucis hilaritate in loca delatus esse tenebricosa, quae una cum aedificiis vicinis te recedere iubent in tempora illa, quibus civitas nostra monasteriorum plena fuit et conclavia, augustae Basilicae nexa, sedes fuerunt

Canonicorum. Parietibus Curiae et partim etiam tecto arcuato, quod mirum in modum sic tabulis ligneis est obductum, ut quodammodo fundum navis referat, appositae sunt effigies plurimorum huius Academiae Professorum, vita defunctorum. His nuper accessit DANIELIS DYLII effigies, quam Vir Consultissimus TEMMINCK ex pago Maarssen Senatui per GUNNINGIUM nostrum, Chemiae Lectorem, offerendam curavit. Gratissimum nobis hoc donum fuit, nam, licet DYLIUS ante hos tres et quadraginta annos per aliquot tantum menses Medicinam practicam docuerit, fuit tamen insigne huius Academiae decus, dignusque de aequalium sententia, qui in raro medicorum proventu, quem publice celebravit, principe loco censeretur. Eius itaque, uti etiam GOUDOEVERII nostri effigies, cuius nobis spes facta est a vidua, diutissime locum occupent inter aequalium, decessorum et successorum imagines, verum non in hoc, quo adhuc utimur, Senaculo, quippe angustiore, quam ut veteribus quatuor novae adiungantur. Videtis, Auditores, decessores nostros iudicantes, ampliore nobis opus esse cubiculo. Quibus nos assentientes hoc addimus, locum illum etiam parum idoneum esse ad frequentem numerum Auditorum, qui disquisitionibus publicis interesse cupiunt commode excipiendum. Et quandoquidem ea proferimus, quae sunt in votis, silentio premere non lubet votorum omnium praecipuum. Utinam aliquando nobis adeo felicibus esse contingat, ut novum contemplemur aedificium Academicum Groningani haud dissimile dignumque et peregrinorum approbatione et vero Academiae atque civitatis Traiectinae prosperitate!

Quod ad reliqua doctrinae adminicula attinet, Museum Physicum, Laboratorium Physiologicum et Observatorium Microscopicum suis singula instrumentis locupletata sunt. Supellectili quoque Anatomicae pulchra accesserunt et utilia specimina, quorum nonnulla affabre confecta diligentiam et artis peritiam WURFFII Prosectoris egregie probant. Museum Zoologicum haud exigua cepit incrementa. Nam Vir Doctissimus VAN HASSELT exquisitam ei donavit collectionem Aranearum indigenarum liquore asservatarum, et e Museo Lidthiano emtione comparata sunt aliquot egregia specimina Mammalium et Avium. Quae quidem animalia, quum pro sua dignitate non satis apte exponi possent, praeparari a Curatoribus omnia coepta sunt ad novum exstruendum cubiculum, quod etiam scholis habendis inserviet.

Observatorii Astronomici instrumenta integra servantur. Vir Clarissimus BUYS BALLOT illius vacante cathedra praefectus, in scholis suis de astronomia populari apparatum sibi deese iudicabat ad motum corporum coelestium perspicue explicandum. Hunc petere a Curatoribus, quorum proximis annis inexhausta propemodum erga hoc Observatorium liberalitas fuisset, pro insito honesti et decori sensu non audebat. Rem communicavit cum disciplinae suae alumnis, qui, quum existimarent, hic suum agi doctrinae amorem, contulerunt et suo Praeceptori tradiderunt plus ducentos florenos, ad comparandum illum apparatum vel ad aliud emendum maioris momenti instrumentum, quod ipsorum nomine et in grati animi memoriam Curatoribus afferretur, Observatorii exstruendi auctoribus prudentissimis. Huic officio non defuturus Vir. Clar. parcior sui quam discipulorum laudator erit. Nos autem ea de re utrosque multum amamus.

De opportunitatibus, quae Medicinae studiosis praebentur pericula faciendi in arte salutari exercenda, lubens commemoro polyclinicem valde florere, maiori puerperarum numero quam antea opem esse latam et apparatum instrumentorum integrum servari. De Nosocomio autem Academico tacerem, nisi succurreret illud: gutta cavat lapidem. Itaque repeto, quod sexcenties audivistis, Nosocomium prorsus ineptum esse ad vires futurorum Medicorum praxeos ope exercendas.

Attamen illud me addere decet quod monet HORATIUS:

„Dimidium facti qui coepit habet."

Nam coepimus, Auditores! Peritissimi enim, quibus haec res mandata est, Viri non tantum de novo Nosocomio exstruendo diu multumque deliberarunt, verum etiam aedificium chartarum fidei commiserunt, quod parum a perfectione aberit. Constabit illud magni, sed apage ineptias eorum, qui ea, in quibus nihil magnopere requirere licet, parvo parabilia esse censent.

Sed ab his me avocat cogitatio alius Nosocomii, quod, licet cum Academia haud sit coniunctum, ita tamen comparatum est, ut commodis Medicinae studiosorum inserviat. Ophthalmocomium cogito, cuius in hac urbe condendi fons fuit liberalitas Nederlandica, ad leniendos hominum dolores numquam frustra expetita. Hanc autem qui expetiverant, nec tempori nec

labori pepercerunt, ut, quod animo volvebant, ad rem effectumque perducerent. In quibus te, Clarissime SUERMAN, vel primas egisse vel praecipuas, et miramur et non miramur. Miramur, aetatem tuam cogitantes, quae plerosque a rebus agendis avocat. Non miramur, memores vel testes potius iuvenilis illius ardoris, quo tu, Medicorum Traiectinorum Nestor, cuncta commendas, promoves et urges, quae tibi utilia et bona esse videntur. Sed omnium maxime tibi, coniunctissime DONDERS, harum rerum laus et honos debetur. Tu primus in nostra patria mentionem fecisti Nosocomii, in quo unice oculorum morbo laborantibus succurreretur. Quum pluribus, de hoc sensuum nostrorum praestantissimo admodum sollicitis, opem tuleras, ampliorem quaesivisti eruditionis et dexteritatis tuae in usum practicum conferendae opportunitatem. Haec tibi iam parata est. Nemo dubitat, quin ea optime usurus sis. Tu autem, Collega aestumatissime, et Academiae Traiectinae et arti tuae salutari et doctrinae medicae in patria nostra, unde frustra te avellere conatae sunt alio invitantium voces, — tu igitur gravissimis et causis et institutis ut decori esse pergas, vehementer opto. Nondum tamen te mitto, Vir amicissime, quem hoc anno Senatus Academiae Traiectinae chirurgiae doctorem honoris causa creavit et Rex Augustissimus ad honoratiorem evexit Ordinem Equitum cruce querna insignitorum. Venit in honoris communionem VINKIUS noster, Equitibus Leonis Nederlandici adscriptus. Hos honores Vobis, Collegae optimi, impense gratulamur.

Diximus de studiorum praesidiis, quae quanti quis iure faciat, non tamen in his omnia posita esse putamus. Non solum rebus externis affluere, sed intus potissimum vigere oportet Academiam, id est, in animo uniuscuiusque, cui aliqua cum ipsa intercedit necessitudo, eum esse pulcri bonique amorem, quo ad praeclara quaeque persequenda incitemur. Hunc vigorem nec deesse contendimus neque ita adesse, ut nullus accessioni locus relinquatur. Quamobrem quantulumcumque illud sit, quod accedere posse videatur, id ipsum summo studio minuere conemur. Vos, Viri Amplissimi, quorum virtuti prudentiaeque prorsus confidimus, Regi Augustissimo eos commendetis et Literarum Humaniorum et Theologiae et Iurisprudentiae doctores, quibus Academiae Traiectinae gloriari licebit.

Nos, Collegae coniunctissimi, talium Collegarum possessione ornati, curemus, iis ne exemplo nostro desimus.

Vos, disciplinae nostrae alumni, studiis vigilate severis.

Cunctis denique curae sit cognitio sui, ut, missis iis, quae a tergo sunt, in ea constantius prospiciatur, quae sunt a fronte, si fronte collineari possit.

His verbis ad vos accedo, Iuvenes praestantissimi, qui difficillimos haud defugistis labores, ut voti compotes fieretis. Quam nos delectat adspectus vester, et numerus eorum, qui ad quaestiones e liberalitate regia positas suas nobis obtulerunt commentationes!

De his quae sit sententia nostra, ex Ordinum iudiciis constabit, quae a Viro Clarissimo, qui Senatui Academico ab Actis est, identidem legentur.

Iudicium Ordinis Matheseos et Philosophiae Naturalis.

Ad quaestionem physicam: „Critice exponantur recentiorum physicorum „investigationes de nexu inter effectus, praesertim thermicos et chemicos, „fluxus galvanici atque processum chemicum in apparatu electromotorio," duas Ordo accepit disputationes lemmatibus insignitas, alteram: *On peut regarder le galvanisme* etc., alteram: *Ich fühl es wohl, noch bin ich weit zurück!*

Prioris responsionis Scriptor in tria capita dispertivit opus. In primo egit de effectibus fluxus galvanici, in secundo diversos apparatus electromotorios descripsit, in tertio tandem ad quaestionem ipsam accedit. Laudanda diligentia Scriptor collegit, quaecunque a physicis his de rebus tradita invenit, desideratur autem ordinata rerum expositio et critica, quae rogabatur, ratio in diiudicando experimentorum valore. Plura quoque attulit quae ad quaestionis argumentum minus pertinent.

Melius placuit altera commentatio, in qua Auctor praemissa disquisitione de lege electrolytica Cel. FARADAY et de lege Jouliana circa caloris evolutionem in circuitu galvanico, statim ad quaestionem ipsam tractandam aggreditur, ac singula physicorum experimenta, e quibus numerica relatio

inter effectus fluxus galvanici et processum chemicum in apparatu electromotorio elici potest, critico examini subiecit eo proposito et successu ut pateat, quousque cum principio virium vivarum, quod nostris diebus ad omnes vires physicas extensum est, conveniant.

Si igitur alter relata retulit et satis bene, hic aliena ita agitavit, ut sua fecerit.

Egregiam hanc dissertationem aureo praemio dignam censuit. Aperta schedula nomen prodiit ADOLPHI VAN OVEN, Math. et Phil. Nat. Candidati in Academia Lugduno-Batava, qui examine instituto scriptorem se esse abunde probavit.

Prioris autem responsionis Scriptori honorificum diligentiae testimonium concessit Ordo. Hunc esse patuit HERMANUM KUYPER, Medicinae Studiosum et hoc nomine Philos. Candidatum in Academia Rheno-Traiectina.

Ad quaestionem botanicam nulla Ordini oblata est responsio.

Praestantissime VAN OVEN, si quis alius, tu sane praemio aureo dignus es, qui in difficillimo et gravissimo physices recentioris argumento ita elaborasti, ut Ordinis nostri iudicium nihil nisi laudis significationem contineat. Haec laus tibi suavissimum sit operae atque studiorum praemium, nummus autem, quo ornaris, perpetuum tibi sit honorifici huius diei testimonium.

Quodsi, ornatissime KUYPER, industria quaestio explicari potuisset, dubitare liceret, uter victoriam reportasset. Quum autem aemulo cedas, laetor, hos secundos honores tibi obtigisse, alumno illius Ordinis cui ipse sum adscriptus. Itaque noli dubitare, quin ego honorificum hoc testimonium tibi eadem voluptate tradam, qua tu illud accipis.

Iudicium Ordinis Theologorum.

Theologorum Ordo hanc solvendam proposuerat quaestionem:

„Christi orationum, a Iohanne relatarum, ea singulatim dicta explicen„tur, unde apparet, quibus fundamentis fidem sibi habendam niti voluerit „conservator."

Cui igitur quaestioni ut responderetur *senas* accepit ad se allatas disputationes.

Prima symbolum adscriptum habebat Christi dictum: *Μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες κ. τ. λ.* Qua lecta commentatione bonum quidem piumque nobis laudandum videbatur, quo ad scribendum se accinxisset Auctor, consilium. Nonnulla etiam monuit, ad Criticen et Exegesin spectantia, bene dicta. Verum balbutiens plerumque eius est oratio, ac subinde puerilis fere. Nec ordinis concinnitate scriptum commendatur, nec interpretandi peritia, nec iudicii vi atque acumine. Imo ita scripsit, ut num quaestionis propositae argumentum et ambitum recte perceperit, vehementer dubites.

Altera allata est commentatio, tesseram habens VIRGILII versum: *Admonet nos et magna testatur voce* caett. Huius valde mediocris, ne quid gravius dicatur, est stilus, et passim grammaticis inquinata vitiis oratio. Quid potissimum sibi voluerit Auctor, subinde lectori vix, aut ne vix quidem satis certo constat. Locorum, qui tractandi erant, enarratio nullam fere probat artis exegeticae peritiam. De *fidei* fundamentis quae statuenda putabat, ea nec satis enucleate ac definite exponit, nec iis, quae afferri poterant, argumentis probanda curat. A dialectica igitur subtilitate quam longissime scriptum abhorret; nec maiorem interpretandi habet laudem.

Utrique disputationi sine dubio *tertia* praeferenda est, quae CALVINI dicto notata cernitur: *Fides in Christi notitia sita est.* Locos enim Iohanneos explicans Auctor, ita optimos quosque et Criticos consuluit et Interpretes, ut *suus* tamen maneret, ac plerumque veras certasque Critices atque Hermeneutices leges prudenter ac solerter adeo sequeretur. Quamquam, praeiudicatis captus opinionibus, ab iis nonnunquam recessit regulis, nec semper sibi satis constitit. Verumtamen ea bona habebat, easque dotes disputatio, ut graviores esse defectus, qui quominus praemio ornaretur vetarent, Ordo doleret. Per nimiam enim factum esse videtur, cuius passim vestigia apparent, Auctoris festinationem, ut haud pauca, quae tractanda erant, Christi dicta aut plane negligeret, aut leviter admodum attingeret. Nec ea, quae singulorum locorum interpretationi ut plurimum tribuenda est laus, *conclusioni* sive *epilogo* tribui potest; quippe quae subiectiva et obiectiva, antecedentia ac consequentia ita male con-

fundat, ut de universa, quae solvenda erat, quaestione, quae scriptori placuerit sententia, varias in partes haud improbabiliter possis disceptare.

Quarta disputatio, HARTINGII dicto notata: *De question brulante* caett. longe plures, quam quae proxime memorata est commentatio, tractat locos Iohanneos, eosque qualemcunque in ordinem classesque non plane incommode distribuere conatur. Qua in opera magna versatur industria atque intento nihil praetermittendi studio. Verum laudabili huic, qua totum complecti conatus est argumentum, industriae studioque iudicii sanitas non respondet nec subtilitas. Ne enim de contorta dicamus plurium locorum interpretatione, multa admiscet aliena, nec quicquam magnopere ad rem praesentem facientia; iterum iterumque eadem fere, nec tamen sibi semper constantia, repetere non dubitat; nec vero certam disputandi viam sequitur ac rationem. Vel sic tamen tam singularem habet disputatio ac tam eximiam industriae praestantiam, ut dignam eam censuerimus, quae publico laudis ornaretur testimonio.

Quinta, quam iudicandam accepimus, commentatio omnibus notum sibi symbolum sumserat dictum: *Dies diem docet.* Huius quidem Auctor scripti non omnes, quos omnino oportuerat, consuluit quarti Evangelii Interpretes. Nec semper ipsam, quae Christo habenda est, *fidem* satis accurate ab illius vel incitamentis, vel fundamentis distinxisse videtur. Alia etiam nonulla vel forma habet, vel materia non plane probanda. Sed qualescunque hos defectus magnis Auctor compensat bonis ac virtutibus. In quibus, alia ne memoremus, interpretandi sacram scripturam eximia excellit, pro iuvenili quidem aetate, facultas, quam interpretationis probat nativa simplicitas, *ἀκρίβεια*, subtilitas, atque universe re spectata, bonitas. Quocirca dignam censuit Ordo commentationem, cui aureum tribueretur praemium.

Sexta tandem nobis iudicanda incumbebat disputatio, TERTULLIANI dicto insignita: *Cum credimus* caett. Cuius quidem scriptor non minore, quam qui proxime memoratus est, laude dignus censebatur atque honore. Sed dispari id ratione, nec plane propter eandem praestantiae dotem. Ea enim, qua cernitur *quinta* illa diatribe, accurate atque eleganter *interpretandi* facultas ac peritia, non plane quidem desideratur, at non ita luculenter apparet in *sexta* hac, de qua quum maxime dicimus, disputatione.

Sed aemulum, quocum plura bona communia habet, hicce superavit Auctor, quod maiorem *dogmaticae* quaestionis parti operam dedit eamque pleniore disquisitione persecutus esse videtur. Quum igitur aureo praemio ipse quoque dignus censeretur, ita eodem loco *quintam* illam ac *sextam* hanc habendam esse disputationem decrevit Ordo, ut utri praemium tribueretur sorti dirimendum permitteretur.

Iusta igitur instituta sortitione *quintam* inter disputationem, cuius auctorem se professus est ac probavit FREDERICUS LUDOVICUS RUTGERS, in Academia Lugduno-Batava Theol. Cand., et *sextam*, cuius auctorem se professus est probavitque ANTHONIUS BALLOT, Theologiae in Illustri Athenaeo Amstelodamensi studiosus, ac Seminarii Teleiobaptistarum alumnus, *sorte iubente*, RUTGERSIO praemium est signatum, idque ita ut BALLOTIUS eiusdem plane honoris socius solemni dato testimonio ac publice declararetur.

Quartae tandem disputationis auctorem se professus est ac probavit IANUS ELIZA MOLTZER Ir., Theol. in Academia Lugduno-Batava Studiosus. Cuius igitur industriae, ex Ordinis decreto, honorificum laudis testimonium impertietur.

Apparuit vobis, Auditores, ex iudicio Theologorum acriter de victoria esse certatum, dimidiamque certantium partem mágna, etsi non summa singulos, cum laude decessisse.

Tu, dilectissime RUTGERS, sortibus iactis, aureum nummum reportasti. Nihil profecto mirum est nomen tuum in iis commemorari, qui hodie laude et honore ornantur. Ex illa gente es, quae multos tulit, quibus patria gloriatur, viros. Horum instar tu sic in Theologiam incumbas velim, ut Ecclesiae Nederlandicae aliquando decori sis et praesidio. Primitiae placuerunt, spem attulisti exquisitarum frugum.

Praestantissime BALLOT, sors te auro, non iisdem honoribus privare potuit. En nummum argenteum, cuius honorem regia munificentia iure censuit tibi deberi. Probásti, Seminarium Teleiobaptistarum, quamquam discipulorum numero Academiis nostris longe cedens, egregiis tamen florere alumnis. Opto equidem ut aliquando praeclarus sis Evangelii Interpres

apud Teleiobaptistas, qui suis profecto non destituti sunt Doctoribus piis et eruditis.

Tu me tibi devinxisti, Ornatissime MOLTZER. Nam symbolo usus es sententia quadam ex scriptis fratris mei dilectissimi. Quare victoriam, me certe non nolente, reportasses. Sed hic illud a me postulatur, ut exsequar mandata, quae iudicio nituntur Theologorum, optimorum hac in causa iudicum. Itaque accipe honorificum laudis testimonium, quod te ad maiora suscipienda incitet.

Iudicium Ordinis Iurisconsultorum.

Ordo Iurisconsultorum duas proposuit quaestiones:

I. Exponatur locus iuris criminalis de moderamine inculpatae tutelae cum in historia iuris Romani et Germanici atque patrii, tum collatis inter se iuris hodierni diversarum gentium principiis atque sanctionibus.

II. Exponatur necessitudo, quae intercedit inter iuris privati tum civilis, tum mercatorii praecepta et oeconomiae politicae disciplinam.

Ad priorem unam tantum accepit commentationem, lemmate inscriptam „*Self-defence as it is justly called the primary law of nature* etc" (STEPHEN'S New Commentaries) qua locus de moderamine inculpatae tutelae primum ex legibus antiquis, dein ex iure poenali hodierno, tandem ratione philosopha copiose illustratur. Iusto latiorem disquisitionis historicae campum pervagatus scriptor in expositione iuris recentioris cum patrii tum Francici quaedam non omittenda neglexit, quae tamen omissa non eius esse videbantur momenti ut eximiae industriae et eruditionis nec non acuminis minime vulgaris documenta exhibens disputatio debita palma fraudaretur. Quocirca Ordo praemio regio condecorandum scriptorem censuit, atque aperta scidula, nomen prodiit ADRIANI FREDERICI LUDOWICI GREGORY, in Academia Lugduno-Batava iuris studiosi, qui, instituto examine, se scriptorem nobis probavit.

Ad alteram quaestionem Ordo accepit duas commentationes. Prior in-

scripta symbolo; *„discendae sunt eae artes quae efficiunt ut usui civitati „simus”* (CICERO de Republica) studium haud vulgare et insignem industriam scriptoris prodit pleneque argumentum tractans multa recte disputata continet ita ut, licet sint, quae improbanda videantur nec ubivis acu rem tetigerit scriptor, tamen Ordini digna visa est, quae aureo praemio ornaretur.

Ex scidula adiecta scriptor apparuit seseque probavit GERARDUS WICHERLINK, iuris in Academia Rheno-Traiectina candidatus.

Altera commentatio, inscripta sententia: *„Die Untersuchungen welche „man ganz aus uneigennutzigem Eifer* etc” (G. HUGO), nimis festinanter elaborata esse videtur, ita ut alia desint alia non satis plene sint tractata, multa tamen continet recte disputata et sagaciter exposita, ita ut Ordo, quamquam aureo eam praemio dignam non censeret, tamen scriptorem publice laude ornandum decerneret.

Scriptor publice evocatus sese prodidit et probavit WILCO IULIUS VAN WELDEREN RENGERS, in Academia Rheno-Traiectina iuris candidatus.

Accedatis, ornatissimi GREGORY, WICHERLINK et VAN WELDEREN RENGERS, ut honore augeamini meritis quaesito.

Ex te, praestantissime GREGORY, si iudicare licet de Leidensibus Iurisprudentiae studiosis, est sane quod Academiae tuae felicitatem praedicemus; sed tum tu, egregie WICHERLINK, qui abhinc biennium in Groningana Academia secundos tulisti honores, nobis praestas Traiectinorum alumnorum virtutes. Singuli praemio aureo ornamini, quod vos, qui tamquam in cursu estis, non alia quam regia via progredi sinat.

Tibi, optime VAN WELDEREN RENGERS, qui exercitatissimo athletae cessisti, honorificum trado testimonium. Dici vix potest, quam gratae mihi tuae sint in hoc certamine laudes. Nam si de tuis in Iurisprudentia progressibus nullum penes me iudicium est, cognovi hoc ipso anno humanitatem tuam et generosos animi sensus et vero Academiae, nostrae omnium almae matris, amorem. Quoties, o bone, postea hodiernae laudis testem adspicis, toties in memoriam redeas, tum operae in hac Academia studiis navatae, tum temporis illius, quod ambo concordiae civium Academicorum promovendae, id est saluti Academiae Traiectinae, hoc anno impendimus.

Iudicium Ordinis Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum.

Ad quaestionem ex historia: „Critica instituatur disquisitio de M. TULLII „CICERONIS vita politica," Ordo duas accepit commentationes, quarum altera insignita est verbis CICERONIS: „quod turpe est, id, quamvis occul„tetur, honestum fieri nullo modo potest," alteri symbolum est sententia EPICHARMI: τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγάθ' οἱ θεοί.

Neutra commentatio Ordini probavit eam iudicandi integritatem, ut praemio aureo ornanda videretur. In priori commentatione acerrima est eaque perpetua CICERONIS reprehensio, haud neglectis, quamquam non satis perpensis, recentiorum scriptorum argumentis; in posteriori primas agit amor CICERONIS, non quidem tantus, quantus eius erroribus et vitiis perspiciendis effecerit, sed non satis sibi constans, nec magnopere aptus et nexus ex diligentiori tum indolis Ciceronianae, tum temporum illorum investigatione, quamquam hac in parte prioris commentationis scriptor minus etiam satisfecit. Re accurate perpensa, censuit Ordo utriusque commentationis scriptori diligentiae laudem esse tribuendam, sed eum, qui verba EPICHARMI opusculo suo adscripsit, aemulo praestare iudicavit, tum sermonis elegantia, tum vero critica variorum CICERONIS locorum comparatione et interpretatione. Quae quidem Ordini sic placuerunt, ut scriptor praemio argenteo ornandus esse videretur.

Venia scidulae aperiendae accepta, mox, instituta etiam disquisitione, scriptorem esse apparuit GUILIELMUM RUDOLPHUM POOLMAN, Theologiae in Seminario Evangelico-Lutheranorum Amstelodamensi Studiosum.

Ad quaestionem de literis orientalibus propositam: „Exponatur, quae „fuerit propria Israëlitarum Theocratiae ratio, et quaenam inter hanc et „aliorum populorum veterum hierarchias fuerit similitudo et dissimilitudo," itidem duae allatae sunt commentationes, quarum una insignita verbis Ps. CXLVII. vs. 19, 20, altera dicto Paulino, ad Gal. IV. vs. 1.

Prioris disputationis scriptor diligenter nonnullorum virorum doctorum vestigia premens, multa ad illustrandam Israelitarum Theocratiam congessit; aliorum vero, inprimis recentiorum, de nonnullis placitis discrepantes sententias neglexit; quae vel in locis quibusdam Veteris Foederis ponderandis,

vel in ipsa argumenti expositione erant difficiliora, aut omisit, aut leviter tantum tetigit, et universe magis externam Theocratiae formam, quam internam eius indolem exposuit. In hierarchiis veterum gentium explicandis plurima ad earum cognitionem necessaria auctori defuerunt, quo factum est, ut minus accurate, tum quae iis fuerint propria illustrare, tum iustam inter has et Theocratiam Israëlitarum comparationem instituere potuerit. Ergo haec disputatio, quamvis satis bene scripta, et auctoris industria animique pietate probabilis, praemio digna non iudicata est.

Altera commentatio, cui symbolum est locus Pauli ad Gal. IV. vs. 1, doctrinae copia, ingenii acumine et sollertia sese commendat. Non tantum diversas aliorum, etiam recentiorum scriptorum sententias consuluit auctor, sed etiam suo modo, saepe acute, nonnunquam nimis leviter et audacter, diiudicavit, difficultates, maxime in prima argumenti parte, plurimas perspexit, easque tollere conatus est; tum etiam principia et interiorem Theocratiae Israëlitarum naturam pervestigare et explicare studuit. Cum doctrinae copia haud raro tamen quoddam partium studium, cum ingenii acumine quaedam iudicii temeritas coniuncta videtur. Etiam fundamentum Theocratiae historicum et religiosum parum attendit. In fontibus ad veterum hierarchiarum cognitionem adhibendis minus diligens, eas non semper recte exposuit, neque omnia attulit, quae ad iustam comparationem instituendam requirebantur. Lingua, qua usus est scriptor, vitiis et sordibus non vacat. Cum ergo multa in hac commentatione desiderarentur, aureum quidem praemium ei tribui non potuit; quum tamen multa in ea laudanda essent, mentis alacritas, animi candor, iudiciique acumen in commentatione essent conspicua, digna haec iudicata est, ut secundis honoribus ornaretur.

Aperta scidula et instituto examine scriptorem sese probavit HENRICUS OORT, Theologiae Candidatus in Academia Lugduno-Batava.

Vos quoque lubentissime compello, Ornatissimi POOLMAN et OORT.

De quaestionibus ex historia et ex literis orientalibus ita disputastis, ut iudicibus vestris argenteo nummo ornandi esse videremini. Horum precibus annuit Rex Augustissimus. Accipite igitur, qui Principis liberalitati debetur, nummum. Quemadmodum Teleiobaptistarum, sic etiam

16

Evangelico Lutheranorum Seminario, Ornatissime POOLMAN, est, quod in alumnorum suorum diligentia, sagacitate et progressibus acquiescat, quamquam, Ornatissime OORT, in laetitiae communionem venit Academia Lugduno-Batava.

Vos, optimi Iuvenes, futuri Evangelii Interpretes, qui Literas et Theologiam arcta necessitudine vobis iunctas videri probastis, ex hac studiorum vestrorum amplitudine fructus aliquando capiatis et vobis utilissimos et exquisitae coetui Christiano praestantiae.

Iudicium Ordinis Medicorum.

Ad quaestionem, quae sic audit: „Diversae physiologorum sententiae „de actione musculorum intercostalium tam internorum quam externo„rum in respirationis motu historice exponantur et, anatome duce, tum „etiam experimentis institutis, critice examinentur;" unum Ordo accepit responsum patrio sermone conscriptum, hoc lemmate insignitum: „In „medio tutissimus ibis."

Auctor huius commentationis opus suum in duas dividit partes, alteram historicam, alteram proprias continentem ipsius investigationes. Priorem, etiamsi nec completam, nec plane accuratam, et paullo festinantius conscriptam, universe quidem iusta commendat et dilucida expositio, concisa, nec minus acuta censura. In posteriorem multum impendit auctor et curae et laboris. Optimam methodum secutus, diligenti cadaverum sectione ductus, variis experimentis etiam in animalibus institutis, primum partes, de quibus agendum erat, describit; deinde earum motus considerat; tandem ad vires moventes concludit.

Elucet omnino singularis auctoris dexteritas et anatomes peritia. Torsionem, quam vocant, thoracis accuratius investigavit, quam adhuc factum erat. Motus costarum axes bene indicavit. Quodque de diversis physiologorum sententiis in hac commentationis parte profert iudicium, priori elaboratius et conclusionibus e propria disquisitione deductis apprime accommodatum est.

Quamquam Ordo Medicorum non penitus adstipulatur auctoris censurae, quandoquidem nonnullae conclusiones, quibus innititur, nisi falsae, certe

minus accuratae sunt, laudat tamen eius industriam, assiduitatem et ingeniosam disquisitionem, eumque dignum habet, qui praemio condecoretur.

Aperta scidula et probatione instituta, scriptorem esse patuit ANTONIUM HENRICUM SCHOEMAKER, Medicinae in Academia Rheno-Traiectina Candidatum.

Et iam tu accedas, praestantissime SCHOEMAKER. Commentationis tuae argumentum grave est et difficile. Nam elaborasti in quaestione, de qua principes viri in diversas abeunt sententias.

Nihil itaque mirum rem a te non eo deductam esse, ut Ordini Medicorum prorsus satisfeceris. Verumtamen hoc tibi valde honorificum est, hunc Ordinem, licet a te dissentientem, ornare tamen commentationem tuam hoc aureo praemio decrevisse. Scilicet viderunt te viri clarissimi iusta viá progredientem, quae in disciplinis physicis et idcirco in medicina quoque, si non continuo, at sensim paulatimque ad verum inveniendum ducit. Ab hac via diligentissimae investigationis ne umquam deflectas et alia te moneant et vero insignis, qui tibi hodie obtigit, honos.

Tradita sunt praemia. Equidem laudibus egregiorum iuvenum praedicandis alios fortasse dolore affeci, si qui, victi in certamine literario, his intersint solennibus. Si manaret ille dolor ex invidia, ne unum quidem ex hac cathedra verbum ei opponerem. Sed obviam eundum est dolori ex opinione de labore frustra suscepto, de facta temporis iactura orto. Non frustra vires intendistis, o boni, acuistis ingenium, auxistis gravissimarum rerum scientiam, exercuistis iudicium. Publice laudari et volitare per ora virum iucundum est, sed benefactorum conscientia, me iudice, fructu et iucunditate non caret.

Mense proximo novi certaminis Programma affertur, quod a Rectore et Senatu Groningano indicitur. Diligenter illud inspiciatis velim, et pariter atque commilitones, quotquot vobis non cedunt virtute, deliberetis serio num forte manus operi sit admovenda, ut Groninganis constare pergat de Traiectinorum alumnorum progressibus.

Qui magistratum Academicum deponunt, Curatorum, Professorum et alumnorum erga se voluntatem haud silentio premunt. Ego si ex hoc loco, nullis gratiis actis, decederem, mihimet ipsi displicerem. Mihi autem in una eademque causa evenit, quod et delectaret me et dolore afficeret. Alterum cohaeret cum amore Academiae, cuius vigorem intelligentissimi quique iudices avelli non posse existimant a Civium Academicorum concordia. Optavi, ut quidquid exteri in hac animorum disiunctione improbrarent et reprehenderent, tolleretur. Voti mei compos non evasi. Alterum vero, quod me recreavit et refecit, positum est in plurimorum commilitonum benevolentia, amicitia, fide constantissimoque optima consilia mecum ineundi studio. Laetor plerisque omnibus nullum esse dubium, quin perpetuum partium studium ab aetate vestra generosa illa et ad voluntatum consensionem unice apta prorsus sit alienum. His itaque hoc persuasissimum esto, me optantem, ut almae matris amor in *omnium* animis primas agat, notitiae illius, quam cum multis Academiae civibus contraxi, numquam non grato animo recordaturum esse.

Reliquum est, ut Academiae magistratum in successorem conferam, BERNARDUM TER HAAR, Theologiae Doctorem et Professorem Ordinarium. Hunc Virum Clarissimum e Regia auctoritate in annum proximum Academiae Rheno-Traiectinae Rectorem Magnificum dico, renuncio, proclamo.

Salve, Vir Magnifice, iterumque salve! Te Rectore, absit mors atra, precor, et ita floreat Academia Traiectina, ut tibi hoc magistratu abeunti tum alia fausta sint praedicanda tum hoc, quod symbolo nostro continetur: nos illustravit Sol iustitiae.

ACTA IN SENATU

A. MDCCCLVIII—MDCCCLIX,

RECTORE PETRO HARTING,

GRAPHIARIO IACOBO LUDOVICO CONRADO SCHROEDER VAN DER KOLK.

Die 26 m. Martii. Rector Magnificus LUDOVICUS CHRISTIANUS VAN GOUDOEVER, a Senatu Amplissimo in cathedram ductus, orationem habet *de difficultatibus quibus premitur tumorum diagnosis, de erroribus, quibus Chirurgus inde obnoxius est, deque noxiis et periculis, quibus idcirco aegri exponuntur.* Deinde, Academiae fatis enarratis et indicto Certamine Literario, magistratum deponit, datumque sibi successorem proclamat et salutat Virum Clarissimum PETRUM HARTING.

Senatus Graphiarius lectus est Vir Clarissimus IACOBUS LUDOVICUS CONRADUS SCHROEDER VAN DER KOLK.

Die 20 m. Septembris. Vir Clarissimus FRANCISCUS CORNELIUS DONDERS, Medicinae in hac Academia Professor, Chirurgiae Doctor *honoris causa* creatur.

Die 8 m. Decembris. Vir Eruditissimus AUGUSTUS FREDERICUS ALBERTUS HARDELAND, Societatis, quae fidem Christianam propagandam curat, in India Orientali delegatus, Theologiae Doctor *honoris causa* creatur.

Die 17 m. Decembris. Senatus luget obitum Viri Excellentissimi DANIELIS IACOBI EWIJCK VAN DE BILDT, qui per aliquot annos Curatorum Collegio praefuit.

Die 10 m. Ianuarii. Senatus luget obitum Viri Amplissimi LUDOVICI CRAEYVANGER, qui Curatorum Collegio per longum annorum spatium fuit abactis.

Curatores cum Senatu communicant, Virum Clarissimum THEODORUM GERARDUM VAN LIDTH DE IEUDE, in Facultate Math. et Philos. Nat. Professorem Ordinarium, Regio decreto d. 16 m. Decembris anni 1858 n. 59, propter aetatem septuagenariam rude esse donatum.

Die 28 m. Ianuarii. Senatus luget obitum Viri Clarissimi LUDOVICI GERARDI VISSCHER, in Facultate Philos. Theor. et Lit. Hum. Professoris Ordinarii.

Die 9 m. Februarii. Curatores cum Senatu communicant, Collegio Curatorum a Rege Augustissimo, decreto diei 2 m. Ianuarii n. 59, adscriptum et Praesidem lectum esse Virum Excellentissimum A. G. A. Equitem A RAPPARD, amplissimis in republica muneribus perfunctum.

Designantur quatuor viri, e quibus a Rege Augustissimo Rector in proximum annum eligatur,

Ex Ordine Theologico	B. TER HAAR.
〃 〃 Iuridico	I. ACKERSDIJCK.
〃 〃 Philos. Theor. et Lit. Hum.	I. A. C. ROVERS.
〃 〃 Medico	I. L. C. SCHROEDER V. D. KOLK.

Designantur etiam quatuor viri, e quibus Senatus Graphiarius eligatur,

Ex Ordine Math. et Philos. Nat.	C. H. D. BUYS BALLOT.
Ex Ordine Theologico	B. TER HAAR.
〃 〃 Iuridico	I. ACKERSDIJCK.
〃 〃 Philos. Theor. et Lit. Hum.	H. C. MILLIES.

Assessores constituuntur,

Ex Ordine Iuridico	B. I. LINTELO DE GEER.
〃 〃 Philos. Theor. et Lit. Hum.	H. C. MILLIES.
〃 〃 Medico	G. I. LONCQ, C. IAN. FIL.
〃 〃 Math. et Phil. Nat.	R. VAN REES.

Die 21 m. Martii. Senatus luget obitum Viri Clarissimi IACOBI VAN HALL, in Facultate Iuridica Professoris Ordinarii.

Die 24 m. Martii. Senatus luget obitum Viri Amplissimi IACOBI GERARDI VAN NES, Academiae quondam Curatoris.

Curatores cum Senatu communicant Virum Amplissimum G. I. VAN HOYTEMA, hucusque Curatorum Collegii socium, a Rege Augustissimo, decreto diei 15 m. Martii n. 72, huius Collegii creatum esse Graphiarium.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

INDE A FERIIS AESTIVIS ANNI CIƆIƆCCCLVIII USQUE AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIƆIƆCCCLIX,

A PROFESSORIBUS ET LECTORIBUS HABENDARUM,

RECTORE

PETRO HARTING.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

Physicam experimentalem exponet R. VAN REES, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, hora I.

Mechanicam analyticam R. VAN REES, diebus lunae, mercurii, et veneris, hora XI.

Calculum differentialem et integralem R. VAN REES, diebus martis, iovis et saturni, hora XI.

Chemiam organicam G. I. MULDER, diebus lunae, martis, mercurii, hora XII.

Chemiam practicam G. I. MULDER, quotidie in Laboratorio chemico.

Chemiam physiologicam G. I. MULDER, die iovis, hora XII.

Botanices et Physiologiae plantarum elementa exponet C. A. BERGSMA, diebus lunae, martis et mercurii, hora XI.

Botanicam Historiam plantarum medicinalium C. A. BERGSMA, diebus lunae et martis, hora XII.

Anatomiam plantarum C. A. BERGSMA, diebus et horis, auditoribus commodis.

Oeconomiam ruralem C. A. BERGSMA, diebus mercurii et saturni, hora X, duce compendio suo: *Handboek voor de Vaderlandsche Landhuishoudkunde*, ed. Trai. ad Rhen. 1842.

Excursionibus botanicis singulis hebdomadibus praeerit C. A. BERGSMA.

Zoologiam docebit TH. G. VAN LIDTH DE IEUDE, diebus lunae et martis, hora X.

Anatomen comparatam TH. G. VAN LIDTH DE IEUDE, diebus et horis, auditoribus commodis.

Zoologiam tradet P. HARTING, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, hora X.

Zootomiam, *Physiologiam et Histologiam comparatam* P. HARTING, provectioribus discipulis, diebus martis et iovis, hora II.

Palaeontologiam P. HARTING, hora postea indicanda.

Exercitationibus zootomicis et microscopicis quotidie praeerit P. HARTING.

Elementa matheseos docebit C. H. D. BUYS BALLOT, ante ferias hiemales quotidie, hora VIII; post illas, diebus lunae, martis et mercurii, hora VIII.

Stereometriam, *trigonometriam sphaericam* et *algebram* C. H. D. BUYS BALLOT, inde a Kal. Novembribus, diebus mercurii, iovis et saturni, hora X.

Astronomiam popularem bis per dierum hebdomadem explicabit in specula C. H. D. BUYS BALLOT.

Astronomiae practicae exercitationibus praeerit C. H. D. BUYS BALLOT, diebus mercurii et iovis post horam VIII in specula.

Systema chemicum Gerhardtianum dictum exponet I. W. GUNNING, Chemiae Lector, diebus lunae et martis hora X.

Capita selecta Chemiae privatim docebit I. W. GUNNING, die lunae, hora pom. VIII—X.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Theologiae Naturalis, sive *Philosophiae de Deo*, primum *historiam recentiorem*, tum ipsa *decreta* narrabit H. BOUMAN, diebus iovis et veneris, hora IX.

Historiam librorum Novi Testamenti, sive *Introitum in Novum Testamentum*, tradet B. TER HAAR, diebus veneris, hora XII.

Hermeneuticen sacram absolvet inchoatam, *Critices sacrae* conspectum subiiciet H. BOUMAN, diebus lunae et martis, hora IX.

Vaticinia Iesaiae interpretabitur H. BOUMAN, diebus iovis et veneris, hora X.

Priorem Epistolam ad Corinthios explicabit H. BOUMAN, diebus lunae et martis, hora X.

Historiam Ecclesiae Christianae tradet B. TER HAAR, diebus lunae et martis, hora I, diebus mercurii, hora X.

Theologiam dogmaticam docebit H. E. VINKE, diebus lunae, martis et mercurii, hora XI.

Theologiam biblicam tradet H. E. VINKE, diebus iovis, hora XI.

Ethicam Christianam docebit B. TER HAAR, diebus lunae et martis, hora II, diebus mercurii, hora IX.

Theologiam pastoralem s. *practicam* tradet H. E. VINKE, diebus lunae, martis et mercurii, hora XII.

Puerorum doctrinae Christianae initiis *erudiendorum* exercitationem instituet H. E. VINKE, die veneris, hora XI.

Exercitationes oratorias moderabitur B. TER HAAR, hora postea indicanda.

Commilitonibus, *orationes sacras* habentibus, praesides aderunt H. BOUMAN, H. E. VINKE et B. TER HAAR, diebus et horis, tum sibi, tum commilitonibus maxime commodis.

IN FACULTATE IURIDICA.

Ius Pandectarum enarrabit B. I. L. DE GEER, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora XII.

Historiam Iuris Romani tradet B. I L. DE GEER, diebus lunae, hora XII, iovis et saturni, hora X.

Institutiones Iustiniani interpretabitur B. I. L. DE GEER, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, hora VIII.

Encyclopaediam Iuris exponet B. I. L. DE GEER, diebus martis, mercurii et veneris, hora I.

Ius civile Nederlandicum secundum compendium a se editum docebit I. VAN HALL, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, hora I.

Ius mercatorium et maritimum exponet I. VAN HALL, diebus lunae, mercurii et veneris, hora IX.

Rem iudiciariam et rationem procedendi in causis civilibus explicabit I. VAN HALL, diebus lunae, mercurii et veneris, hora X.

Historiam iuris patrii civilis enarrabit I. VAN HALL, die iovis, hora XI.

Exercitiis practicis, a provectioribus instituendis, praeerit I. VAN HALL, altero die mercurii, hora vespertina VII.

Repetitorium de Iure civili et mercatorio instituet I. VAN HALL, diebus et horis, sibi et auditoribus commodis.

Historiam gentium recentiorum politicam tradet I. ACKERSDIJCK, diebus martis, iovis et saturni, hora XI.

Statisticam I. ACKERSDIJCK, iisdem diebus, hora IX.

Oeconomiam politicam docebit I. ACKERSDIJCK, diebus lunae, mercurii et veneris, hora XI.

Disciplinae Iuris naturalis fata et praecipua placita exponet G. G. VREEDE, diebus lunae, mercurii et veneris, hora IX.

Ius publicum Batavum tradet G. G. VREEDE, diebus lunae et martis, hora VIII.

Iurisdictionis administrativae, quae dicitur, selectas caussas tractabit G. G. VREEDE, die saturni, hora I.

Ius gentium Europaeum tradet G. G. VREEDE, diebus martis et saturni, hora X.

Ius criminale docebit G. G. VREEDE, diebus mercurii, iovis et veneris, hora VIII.

Codicem Quaestionum criminalium explicabit G. G. VREEDE, diebus iovis, hora X, veneris, hora I, saturni, hora VIII.

A. C. HOLTIUS legitimam vacationem consecutus recitationes nullas edicit; quodsi alia ope iuris studiosis prodesse poterit, eam desiderantibus non aegre accommodabit.

Publicis disputandi exercitiis praeerunt iuris Professores alternis hebdomadibus, die saturni, hora XII.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Logicam docebit C. G. OPZOOMER, diebus iovis, veneris et saturni, hora II.

Metaphysicam C. G. OPZOOMER, diebus iovis, veneris et saturni, hora I.

Historiam philosophiae veteris explicabit C. G. OPZOOMER, die lunae, hora II et III.

Literas Graecas docebit S. KARSTEN, diebus martis, iovis et veneris, hora XI, tractando Homeri *Iliadem*, Sophoclis *Antigonam*, Platonis *Convivium*.

Idem diebus lunae et mercurii, hora XI, interpretabitur Thucydidem.

Literas Latinas docebit S. KARSTEN, diebus martis, iovis et veneris, hora XII, interpretando Ciceronis *Actt. in Verrem*, Virgilii *Aeneidem*, Taciti *Agricolam*.

Antiquitates Graecas tradet S. KARSTEN, diebus lunae et mercurii, hora XII.

Antiquitates Romanas tradet I. A. C. ROVERS, diebus martis, mercurii et iovis, hora IX, die veneris, hora IX et X.

Historiam Gentium antiquarum enarrabit I. A. C. ROVERS, die lunae, hora I, et diebus mercurii et iovis, hora X.

Literas Hebraicas docebit H. C. MILLIES, tum Grammatica explicanda, tum parte libri Geneseos legenda, diebus martis et iovis, hora I, veneris hora IX.

Literarum Arabicarum initia tradet H. C. MILLIES, diebus martis et mercurii, hora XI.

Antiquitates Israëlitarum explicabit H. C. MILLIES, diebus martis, mercurii et iovis, hora IX.

Cum provectioribus *locos selectos Scriptorum Chaldaicorum* et *Syriacorum* leget H. C. MILLIES, die iovis, hora V, p. m.

Si qui sint, qui *literis Malaicis* et *Javanicis* operam dare cupiant, eorum studia lubentissime adiuvabit H. C. MILLIES, die veneris, hora V—VII, p. m.

Literas Belgicas et literarum Belgicarum Historiam exponet L. G. VISSCHER, diebus lunae, martis, veneris et saturni, hora X.

Praecepta stili bene Belgici L. G. VISSCHER, diebus lunae, martis et saturni, hora II.

Historiam medii aevi et recentiorum temporum I. ACKERSDIJCK, diebus mercurii et veneris, hora I.

Historiam Patriae L. G. VISSCHER, diebus lunae, hora XI, martis, hora XII, iovis, hora XII, saturni, hora I.

Historiam Indiarum Orientalis et Occidentalis L. G. VISSCHER, diebus iovis et veneris, hora XI.

Institutiones paedagogicas habebit S. KARSTEN, die saturni, hora IX et X, partim *metrica* explicando, partim tractando Iuvenalis *Satiras*.

Disputandi exercitationes, alternis hebdomadibus, die lunae, hora I, instituendas, moderabuntur S. KARSTEN et I. A. C. ROVERS.

I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, quamquam per aetatem rude donatus, tamen studiosae literarum Orientalium iuventuti, quoad poterit et licebit, prodesse lubenter paratus erit.

G. DORN SEIFFEN, Litt. Hum. Lector, praecipua tam antiquarum quam recentiorum gentium historiae facta enarrare, gentesque, quod ad culturae progressus, inter se comparare perget, diebus mercurii et saturni, hora XI aliave commilitonibus magis commoda.

IN FACULTATE MEDICA.

Anatomen docebit I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, quater per dierum hebdomadem, hora V.

Dissectionibus cadaverum anatomicis, opportuno anni tempore instituendis, praeerit quotidie I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.

Physiologiam docebit I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, diebus lunae, martis et iovis, hora VIII matutina, die mercurii, hora IX.

Experimentis et *indagationibus physiologicis* et *microscopicis* in laboratorio physiologico quotidie praeerit F. C. DONDERS.

Biologiam generalem exponet F. C. DONDERS, die mercurii et iovis, hora X.

Pathologiam, sectionibus cadaveris illustratam, tradet F. C. DONDERS, die lunae, martis et iovis, hora IX, et die veneris, hora X.

Materiem medicam et praecipua *therapiae generalis* capita exponet G. I. LONCQ, diebus lunae, mercurii et veneris, hora II; post ferias autem hiemales, diebus veneris, hora IX.

Pathologiam et *therapiam specialem* G. I. LONCQ, diebus lunae, hora VIII, martis et iovis, hora IX.

Exercitationes clinicas in arte medica quotidie moderabitur G. I. LONCQ, hora XI, in Nosocomio Academico.

Theoriam artis chirurgicae tradet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus martis, mercurii et veneris, hora VIII, die saturni, hora IX.

Exercitationes polyclinicas in arte chirurgica et *ophthalmiatricas*, diebus lunae, mercurii et veneris, hora IX; *clinicas* tum *chirurgicas*, tum *ophthalmiatricas* diebus martis, iovis et saturni, hora X moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, in Nosocomio Academico.

Operationibus chirurgicis, in cadavere instituendis, qualibet oblata occasione, praeerit L. C. VAN GOUDOEVER.

Deligandi exercitationes moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, die lunae, hora V—VII, post meridiem.

Artis obstetriciae theoriam exponet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus martis et mercurii hora XII et dimidia post meridiem; morbos puerperarum et neonatorum die iovis, horis VIII atque XII et dimidia.

Exercitationibus obstetriciis practicis praeerit L. C. VAN GOUDOEVER, diebus lunae et veneris, hora XII—II, et ad parturientium lectulos qualibet oblata occasione.

Medicinam forensem exponet F. C. DONDERS, inde a feriis aestivis usque ad d. XV m. Mart, diebus mercurii, iovis et veneris, hora II.

Ophthalmologiam docebit et *exercitationes clinicas in ophthalmiatria* moderabitur F. C. DONDERS, diebus lunae, martis et saturni, hora II, insuper quotidie hora III.

B. F. SUERMAN, quamvis munere suo per aetatem sit defunctus, civibus tamen Academiae qualibet opportunitae prodesse paratus erit.

A. C. OUDEMANS docebit *Chemiam anorganicam* diebus lunae, martis, et mercurii, hora IX.

A. C. OUDEMANS *Chemiam theoreticam*, die lunae, hora X.

C. L. VLAANDEREN docebit *Chemiam analyticam*, diebus iovis, veneris et saturni, hora IX.

C. L. VLAANDEREN *Chemiam pharmaceuticam*, diebus iovis et veneris, hora X.

C. L. VLAANDEREN *Chemiam forensem*, die saturni, hora IX.

I. H. HISGEN, literarum Germanicarum Lector, diebus et horis auditoribus commodis, *Literas Germanicas et Literarum Germanicarum historiam, inde a sec. XVIII*, exponet.

I. VENNING, literarum Anglicarum Lector, *Literas Anglicas* docebit, hora auditoribus commoda.

Bibliotheca Academica diebus lunae, martis, mercurii, iovis, veneris et saturni, ab hora XII ad IV, feriarum autem tempore singulis diebus iovis, ab hora I ad III, unicuique patebit. Museum zoologicum et mineralogicum quotidie patebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

DIE XXXI M. DECEMBRIS CIƆIƆCCCLVIII.

In	Facultate	Math. et Phil. Nat.	14.
〃	〃	Theologica	205.
〃	〃	Iuridica	184.
〃	〃	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .	8.
〃	〃	Medica	58.
			469.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum, in Athenaeis studiis operam navantium, relata sunt, eo tantum consilio, ut hic publice progressus probent, et Doctores creentur, quorum:

In	Facultate	Math. et Phil. Nat.	—
〃	〃	Theologica	14.
〃	〃	Iuridica	11.
〃	〃	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .	—
〃	〃	Medica	7.
			32.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

A DIE XXVII M. MARTII A. CIƆIƆCCCLVIII AD DIEM XXVIII M. MARTII A. CIƆIƆCCCLIX.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

d. 3 m. Iulii. CORNELIUS HUBERTUS CAROLUS GRINWIS, Harlemensis, privatim defenso Specimine Physico-Mathematico, cui titulus: *Over de verdeeling der electriciteit over het oppervlak eens geleiders*, Matheseos Magister, Philosophiae Naturalis Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

〃 15 〃 Aprilis. ISAACUS ARNOLDUS LAMPING, ex pago Sprang, *publice* defenso Specimine exegetico *continente Pauli de praedestinatione decretorum enarrationem*, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

〃 28 〃 Maii. MURCO NICOLAUS RINGNALDA, ex urbe Ylst, *publice* defensa Dissertatione *de Oratione Montana, Euang. Matth. Cap. V—VII*, Theologiae Doctor, *cum laude.*

〃 11 〃 Junii. IACOBUS CRAMER, Roterodamensis, *publice* defensa Dissertatione Historico-Dogmatica *de Arianismo*, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

〃 18 〃 〃 GUILIELMUS ARNOLDUS KONING, ex pago Voorburg, *publice* defenso Specimine Historico-Theologico *de Gerardi Zutphaniensis vita, scriptis et meritis*, Theologiae Doctor, *cum laude.*

d. 25 m. Iunii. GISBERTUS HENRICUS LAMERS, Harderovicensis, *publice* defenso Specimine Ethico-Theologico *de Conscientia*, Theologiae Doctor, *magna cum laude*.

〃 26 〃 〃 HUBERTUS TER HAAR, Flardingensis, *publice* defensa Dissertatione Historico-Theologica *exhibente Petri Datheni vitam*, Theologiae Doctor, *magna cum laude*.

〃 8 〃 Dec. HERMANNUS CAROLUS LAATSMAN, ex pago Rheede, *publice* defenso Specimine Historico-Theologico *de Novi Testamenti pericopis Ecclesiasticis earumque origine, indole ac pretio*, Theologiae Doctor, *magna cum laude*.

〃 17 〃 〃 CORNELIUS LOEFF, Zwollanus, *publice* defensa Dissertatione Exegetico-Theologica *de Iesu Christo divinam suam legationem vindicante*, Theologiae Doctor, *cum laude*.

〃 25 〃 Febr. IACOBUS MARENGO ASSINK CALKOEN, ex pago Sloterdijk, *publice* defensa Dissertatione Historica-Theologica *Georgii Cassandri vitae atque operum narrationem exhibente*, Theologiae Doctor, *magna cum laude*.

〃 23 〃 Martii. EVERARDUS HENRICUS VAN LEEUWEN, Zalt-Boemeliensis, *publice* defenso Specimine Exegetico-Theologico *exhibente Iesu doctrinam de resurrectione mortuorum*, Theologiae Doctor, *magna cum laude*.

IN FACULTATE IURIDICA.

〃 20 〃 Aprilis. NICOLAUS VAN BEERS, Monachodamensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

〃 22 〃 〃 LEVINUS IOHANNES SELLEGER, ex urbe Batavia, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

〃 9 〃 Iunii. EDUARDUS VAN LIER, Rheno-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *magna cum laude*.

〃 17 〃 〃 FRANCISCUS EDUARDUS EMBRECHTS, ex urbe Padang, *publice* defenso Specimine Iuris Gentium, cui titulus: *Over den invloed van het Europesche volkenregt op de internationale betrekkingen der Ottomannische Porte*, I. R. et Hod. Doctor, *magna cum laude*.

d. 21 m. Iunii. IACOBUS LEONARDUS VAN HEECKEREN VAN BRANDSENBURG, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

" 26 " " IANUS DEKETH, Brielanus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

" 28 " " GUILIELMUS ANNEUS ASUERUS IACOBUS SCHIMMELPENNINCK VAN DER OYE, ex pago Voorst, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

" 28 " " ROBERTUS CAROLUS NIEUWENHUYS, Amstelodamensis, privatim defenso Specimine Iuridico, cui titulus: *Over letteren requisitoriaal ten dienste der Iustitie in Strafzaken*, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

" 28 " " GUILIELMUS LUDOVICUS FREDERICUS CHRISTIANUS VAN RAPPARD, Zutphaniensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

" 30 " " GUILIELMUS FERDINANDUS SCHOOK, Gravesandanus, privatim defenso Specimine Iuris Maritimi, cui titulus: *Over het Abandonnement*, I. R. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

" 30 " " FRANCISCUS GERARDUS VAN BINSBERGEN, ex pago Ochten, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

" 30 " " IANUS FREDERICUS VAN ESSEN, ex urbe Delfzyl, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

" 6 " Oct. IOHANNES IACOBUS METELERKAMP, Rheno-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

" 7 " " FRANCISCUS KUYPER VAN HARPEN, Amstelodamensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

" 8 " " IOB HUGO DE WILDT, Amstelodamensis, privatum defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

" 9 " " GEORGIUS WOLFGANGUS CAROLUS DUCO VAN DEN SANTHEUVEL, Mosa-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

d. 11 m. Oct. GERARDUS NOORDINK, Enchusanus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

" 25 " " FRANCISCUS GUILIELMUS KETJEN, Arnhemiensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

" 4 " Nov. IOHANNES GUILIELMUS BRONDGEEST, Haganus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

" 24 " " IOHANNES FRANCISCUS COOLEN, ex pago Berchem, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

" 30 " " ANTONIUS ALEXANDER IOSEPHUS CAROLUS SINKEL, ex pago Maarsen, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

" 14 " Dec. IANUS GUILIELMUS VAN DEN NOORDAA, Dordracenus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

" 17 " " CORNELIUS GERLINGS, IUNIOR, Rheno-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

" 22 " " ABRAHAMUS LENS, Rheno-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

" 21 " Ian. IULIUS IACOBUS VAN MEERBEKE, Mosa-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

" 7 " Martii. PETRUS DELBEEK, Rheno-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor.

" 9 " " CAROLUS CYPRIANUS GERARDUS DE PESTERS, Rheno-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et Hod. Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

" 22 " Maii. GUILIELMUS IULIUS, Rheno-Traiectinus, *publice* defenso Specimine Historico-Literario *de Nicia demagogo et belli duce*, Philosophiae Theoreticae Magister, Literarum Humaniorum Doctor, *magna cum laude.*

d. 16 m. Sep. IOHANNES ADRIANUS STAMKART, Amstelodamensis, *publice* defenso Specimine Literario *exhibente commentarium in Plauti Mosellariam*, Philosophiae Theoreticae Magister, Literarum Humaniorum Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE MEDICA.

〃 18 〃 Aprilis. IACOBUS ANTONIUS MOLL, Haganus, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

〃 4 〃 Iunii. IOHANNES GODEFRIDUS FRANTZ, Amstelodamensis, *publice* defenso Specimine Historico-Medico *exhibente notiones anatomicas et physiologicas de vasorum systemate apud veteres ad Galenum usque, quasi introitum ad sanguinis circuitus historiam*, Medicinae Doctor, *magna cum laude.*

〃 11 〃 〃 FRANCISCUS IACOBUS DUPONT, Roterodamensis, Med. et Art. Obstetr. Doctor, privatim defensis Quaestionibus argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

〃 14 〃 〃 HENRICUS GUILIELMUS CRAMER, Amstelodamensis, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor.

〃 25 〃 〃 THEODORUS HENRICUS MAC-GILLAVRY, Indo-Batavus, *publice* defensa Dissertatione Physiologico-Medica, cui titulus: *Onderzoekingen over de hoegrootheid der accommodatie*, Medicinae Doctor, *magna cum laude.*

〃 25 〃 〃 HERMANNUS LUDOVICUS BRAAM, Nickeria-Surinamensis, privatim defensa Dissertatione Obstetricio-Medica, *continente nonnulla de abortu arte provocato*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

〃 25 〃 〃 GUILIELMUS VAN WICHEREN, Leovardia-Frisius, privatim defensa Dissertatione Medica *de Medicina vitiis cordis organicis eorumque sequelis adhibenda*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

〃 25 〃 〃 IACOBUS VAN HOEK, Dordracenus, privatim defensa Dissertatione Chirurgico-Medica de Syphilisatione, Medicinae Doctor, *magna cum laude.*

d. 2 m. Iulii. NICOLAUS LOBRY VAN TROOSTENBURG DE BRUYN, ex pago Borne, Med. et Art. Obstet. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *magna cum laude.*

〃 11 〃 Sept. HERMANNUS LUDOVICUS BRAAM, Nickeria-Surinamensis, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

〃 18 〃 〃 GUILIELMUS VAN WICHEREN, Leovardia-Frisius, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

〃 22 〃 〃 GISBERTUS HENRICUS VAN EVERDINGEN, Rheno-Traiectinus, privatim defensa Dissertatione Medica, cui titulus: *Over het ontbreken en de rudimentaire vorming van de baarmoeder*, Med. Doctor, *cum laude.*

〃 4 〃 Nov. THEODORUS HENRICUS MAC-GILLAVRY, Indo-Batavus, Med. Doctor, *privatim* defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *magna cum laude.*

〃 28 〃 Dec. HERMANNUS SNELLEN, ex pago Zeist, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *magna cum laude.*

〃 18 〃 Jan. IACOBUS VAN HOEK, Dordracenus, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

〃 25 〃 〃 GUILIELMUS MARIUS GUNNING, Med. Doctor, Hornanus, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *magna cum laude.*

〃 27 〃 〃 IOANNES GERARDUS IEREMIAS IACOBUS MOL, Naardensis, privatim defenso Specimine Chirurgico-Medico, cui titulus: *Academisch Proefschrift, bevattende een verslag der Chirurgische Kliniek en Polykliniek aan de Utrechtsche Hoogeschool van* 1 *September* 1857 *tot* 30 *Junij* 1858, Medicinae Doctor, *cum laude.*

〃 14 〃 Febr. AUGUSTUS CAROLUS IOANNES BRESSLER, Rheno-Traiectinus, privatim defensa Dissertatione Physiologico-Medica, cui

titulus: *Over de uitzetting van het hart*, Medicinae Doctor, *magna cum laude.*

d. 9 m. Martii. FREDERICUS GUILIELMUS MARINUS HOOGENSTRAATEN, Lugduno-Batavus, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

HONORIS CAUSA.

〃 20 〃 Sept. Vir Clar. FRANCISCUS CORNELIUS DONDERS, in Facultate Medica huius Academiae Professor Ordinarius, Chirurgiae Doctor.

〃 8 〃 Dec. AUGUSTUS FREDERICUS ALBERTUS HARDELAND, Societatis, quae fidem Christianam propagandam curat, in India Orientali delegatus, Theologiae Doctor.

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

INDE A D. XIV OCTOBRIS CIƆIƆCCCLVIII AD D. XIII OCTOBRIS CIƆIƆCCCLIX

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

IOSUA IOANNES PHILIPPUS VALETON.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

LUDOVICUS GERLACHUS PAREAU.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

F. C. DE GREUVE.
I. I. P. VALETON.
G. I. A. IONCKBLOET.
G. HECKER.
C. M. FRANCKEN.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. NIENHUIS, Prof. emeritus.
I. H. PHILIPSE.
B. I. GRATAMA.
O. VAN REES.
G. DIEPHUIS.

IN FACULTATE MEDICA.

I. BAART DE LA FAILLE.
F. Z. ERMERINS.
I. HISSINK IANSEN.
I. VAN DEEN.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

H. C. VAN HALL.
I. G. ERMERINS.
N. MULDER.
G. A. ENSCHEDÉ.
P. I. VAN KERCKHOFF.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT.
L. G. PAREAU.
G. MUURLING.

ORATIO

DE

ANTIQUI POPULI ISRAELITICI PECULIARI VIRTUTE IN DEO COLENDO CONSPICUA,

QUAM HABUIT

IOSUA IOANNES PHILIPPUS VALETON,

PHIL. TH. M. LITT. H. D. IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM PROFESSOR ORDINARIUS,

DIE XIII MENSIS OCTOBRIS A. CIƆIƆCCCLIX,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONEBAT.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES AMPLISSIMI,
PROFESSORES CLARISSIMI,
CIVES ORNATISSIMI,
OMNES DENIQUE CUIUSCUNQUE LOCI, ORDINIS, DIGNITATIS,
QUI SOLLEMNIA NOSTRA CONCELEBRATUM HUC VENISTIS,
AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Elapsus est rursus annus academicus et munere discedenti Rectori incumbit ut, perlustratis omnibus quae per illius decursum Academiae evenere, orbem claudat mox sub novo Rectore denuo percurrendum.

Quo iam officio functurus equidem mori parendum censui deque argumento ex studiorum meorum ambitu sumto pauca coram vobis dicere paravi.

Parum tamen aberat quin a proposito deterrerer difficultate incepti.

Solita sane est ista et ad fastidium fere repetita querela, nec vos defatigabo omnibus iis exponendis quae de imbecillitate mea, de vestri reverentia, de insolentia latine dicendi, de angustiis temporis orationi elaborandae concessi eiusdemque generis pluribus vere et iure disserere possim.

Aliud est quo commovear, quod ut plene declarem iam statim argumentum indicandum est de quo vobiscum agere constitui quodque sponte fere se mihi obtulit.

Inter omnia enim quibus ut operam dem et animus iubet et officium, nihil est quod pluris faciam quam antiquam populi Israëlitici historiam, neque eam ita per se spectatam ut tantummodo facta vel eventus eorumque inter se nexus explicentur. Multo potius inquirendum videtur in locum quem ille populus in tota generis humani historia obtinuerit, exponendum quid in communem humanitatis thesaurum contulerit, quid tandem effecerit ut omnes naturae humanae insitae vires in diem magis excolerentur, itaque totum genus versus finem sibi propositum progrederetur atque contenderet.

Sic enim utique existimo, universum quidem quem conspicimus mundum auctorem suum, qui in ipso vitam habeat omniaque ex ipso producat, prodere, significare, ostendere, sub se quasi latentem revelare; at quum illius duae sint partes, alteram quam vulgo naturae nomine complectamur, quantum nobis innotuerit, actionis suae insciam esse, alteram vero cui genus humanum inprimis sit annumerandum sui suique auctoris esse consciam, adeoque humani illius generis esse ut, omnibus cum corporis tum animi ingeniique viribus et facultatibus exerendis, suam cum Deo necessitudinem, Dei in se actionem et efficacitatem magis magisque et sentiat et manifestet.

Nil mihi pulchrius videtur adspectu quam immensum illud opus, quod ab humano genere eoque unum quidem totum efficiente, attamen diversissimas gentes, innumeros homines sua quemque libertate utentes complectente, vel potius ab ipso Deo in illo perficitur. Hic Deum, quem esse et vivere et agere intimo nostro pectori insitum est, non minus praesentem reperimus quam in reliquo sensibili illo et adspectabili mundo. Quam generis nostri historiam explorare ob ipsam illam libertatem sane multo difficilius est quam reliquorum omnium quaecunque sunt in rerum natura investigatio, etsi ne in his quidem vestigia certe libertatis divinae plane desint. Sed modo vel aliquantulum bene perspectum habere liceat, operae pretium erit factum.

In iis autem quae hic primo iam adspectu in oculos incurrunt hoc quoque est, quod singularum gentium aeque ac singulorum hominum diversae sunt dotes, diversae quoque partes, e quibus nihil plane contemnendum, aliud tamen alii longe antecellit.

Iam vero antiquo populo Israëlitico id equidem censeo privum propriumque quod unum omnium omnino praestantissimum est.

Quod quum paulo uberius exponere non alienum videatur, *de antiqui populi Israëlitici peculiari virtute in Deo colendo conspicua* coram vobis dicere in animo est.

Num vero, argumento iam indicato, etiam nunc multis verbis opus erit ad explicandum quare non sine animi commotione ad illud tractandum accedam?

Ecquis enim est in gravissimorum virorum corona verba facturus quin cupiat de rebus de quibus sibi persuasum sit probabiliter dicere et ad persuasionem apposite? Quod quomodo a me fieri possit vix video.

Historiae enim populi Israëlitici mentione facta, quot statim quaestiones oboriantur necesse est de eius fontibus, quos fere solis antiquissimis litterarum Hebraïcarum reliquiis constare notissimum est, de singulorum librorum compositione, aetate, auctore uno an pluribus, de fide historica, de ipsa verborum interpretatione, ut taceam omnium gravissimam, sed quae partim alius disciplinae est, de eorum auctoritate divina, quippe qui ab ipso populo et ecclesia christiana sacri habiti sunt.

Quae omnia quamvis gravia si vel maxime hic mittere possim inter harum rerum peritos discutienda, undique tamen assurgentes conspicere mihi videor quibus neutiquam me probatum iri sperare licet.

Sunt quibus totum hoc historicum genus displiceat, rebus quippe physicis toti intenti, quas solas utiles iudicant, e quibus solis in praesentem nostram conditionem emolumenta quaevis redundatura existimant, quaecunque vero ad historiam pertinent, linguarum scientiam, litterarum studium, morum humanitatisque cognitionem, caetera aut parvi aut nihili faciunt.

Alii historiae studium non respuentes, quid tandem sibi velit quaerunt tota ista philosopha quae vocatur historiae tractandae ratio. In enarratione rerum in facto positarum consistendum aiunt, ultra progredi vetant.

Atque cum his amice conspirant hactenus, caeterum longe ab iis et inter se diversi, tum ii qui litteris inhaerentes scripta illa quae gentium indolis et ingenii monumenta sunt interpretantur quidem nec tamen illam indolem ingeniumque inde elici atque vere cognosci sinunt, tum ii qui quamquam hodie fortasse rariores, nullam esse philosophiam perhibent, nisi quae e summo quodam principio solius ratiocinationis ope omnia deducere et ad rerum universitatis cognitionem pervenire conetur, ipsis vero rebus factisque erudiri nolunt.

Sunt praeterea qui in humani generis historia tractanda methodum ipsam qua singulae partes ad unum revocantur non improbent, sed in rebus diiudicandis et aestimandis aliam plane normam adhibeant, ita ut exempli gratia Israëliticum populum qui sane nec bellicis expeditionibus, nec mercatura nec fabrili dexteritate, nec artium, modo poësin excipias, nec disciplinarum cultu, nec philosophia, nec politica constitutione excelluit vix aut ne vix quidem ullo loco habeant.

Quod autem populi Israëlitici peculiaris virtus in Deo colendo conspicua esse mihi videtur, quomodo denique ab iis ferri posse credamus qui de Dei existentia, natura, cum mundo necessitudine aliquid affirmari posse negent?

Quibus omnibus equidem, sine arrogantia dictum velim, quid respondeam habeo. At non est huius loci neque paucis absolvendum.

Nisi igitur causam relinquere velim, quod, ingenue fateor, mihi religio est, quid restat aliud quam ut in ea tuenda ad vestram, Auditores humanissimi, benevolentiam provocem?

Quemadmodum enim ipse quidquid unicuique sententiae veritatis insit lubens agnoscere cupio, ita magna mihi spes est fore ut vos attenta mente quid in medium proferendum habeam audire velitis et sive recte sive secus dicere vobis videar linguis animisque faveatis.

Populum quemdam universum quum spectamus, vix opus est dictu non omnia quaecunque de eo praedicentur aeque in singulis ad unum omnibus illius civibus esse conspicua. Sunt semper viri nonnulli prae reliquis eminentes primasque partes agentes, qui partim quidem palam faciant et quasi pronuntient ea quae in reliquorum animis lateant, partim vero eo ipso magna apud suos auctoritate fruentes horum rursus duces fiant totamque cogitandi sentiendique rationem magis minusve regant. De populo autem Israëlitico propterea illud diserte monendum, quod tantum abest ut cultus ille divinus quo omnibus gentibus antecellere dicendus est omnibus omnino Israëlitis sine discrimine adscribi possit, ut e contrario non nisi diuturno et strenuo certamine, etsi multo minus vi armorum quam ingenii mentisque facultatibus, contra repugnantium conatus vindicari et confirmari potuerit. Et vel sic tamen totius populi peculiarem quamdam virtutem in Deo colendo conspicuam celebrare posse mihi videor, quia ille Dei cultus, quamvis multi interdum ab eo defecerint, nihilominus in omnia populi instituta publica et privata, in litteras, artes, totam denique vitam penetravit et vim habuit quam maximam.

Fatendum sane nullam omnino fuisse vel etiam nunc esse gentem omnis religionis plane expertem. Nam quod de populis quibusdam in brutorum fere conditionem redactis, apud quos ne ulla quidem Dei notio inventa sit quique primitivam scilicet generis humani imaginem referre videantur,

negati sunt nonnulli, hic in censum venire nequit. Quin apud longe plurimos eosque humanitate florentissimos populos non tantum fuit quaedam religio, verum etiam haec cum omnibus vitae publicae atque privatae negotiis magis minusve coniuncta.

Mihi quidem nunc non explorandum est unde hic omnium populorum ad religionem propensus animus extiterit, nec quaenam vitiorum quibus religio apud omnes populos nullo excepto laboravit singulis peculiaris vel omnibus communis sit causa. Hoc contendo, populum Israëliticum solum ita Dei cultui operam dedisse, ut si eum e populorum numero tollas, toti humano generi nullus amplius qui hoc nomine dignus sit cultus divinus sit superfuturus.

Quod ut demonstrem, primum quaeso attendatis, Auditores spectatissimi, coluisse Israëlitas Deum omnium quotquot sunt rerum, totius rerum universitatis, *auctorem*. Non excito notissimum nec eo tamen minus admirabile illud, quod in introitu totius librorum Hebraicorum collectionis est: „Initio creavit Deus coelum et terram." Non urgeo hic significationem unius vocabuli de quo longa sit et sine ullo fructu disputatio. Appello diversissimorum scriptorum testimonia, legislatoris: „Nam sex diebus fecit Dominus coelum et terram et mare et quaecunque iis insunt;" poëtae: „Verbo Domini coeli facti sunt et spiritu oris eius omne eorum agmen;.... nam quodcunque ille dixit factum est, quodcunque ille iussit, extitit;" prophetae: „Nonne intellexistis fundamenta terrae?... Sursum erigite oculos et videte quis creaverit haece; qui agmen eorum numero educit et nominatim eos evocat; ob magnas eius vires et potens eius robur nemo deficit;" philosophi sapientiam laudantis et loquentem introducentis: „Dominus me possedit initio eius viae:... quum nulli erant abyssi nata eram, quum nulli erant fontes graves aquis; antequam montes erant positi, ante colles nata eram," caetera, quibus omnibus non metaphysica quaedam ad scholae leges redacta continetur doctrina de creatione mundi, quibus vero satis patet Israëlitis intimam fuisse persuasionem de Deo omnium rerum auctore et rectore.

Neve quis haec parvi faciat quippe trita et vulgaria omnibusque, etsi multis non placeant, notissima, perpendatis quanti hoc sit aestimandum, quod quum reliquorum populorum quamvis humanitatis et ingenii laude

celebratissimorum nullus haec detexerit, unus populus Israëliticus sensit et intellexit. An putet aliquis omnia illa, mere poëtica, alibi quoque reperiri, quale est illud notissimum Metamorphoseon initium, quod specie sane simillimum, reapse toto coelo diversum est, quippe quod „ante mare et terras et quod tegit omnia coelum" chaos fuisse canat et sic alia plura? Quod igitur frustra aliunde peteret, Israëlitis illud debet humanum genus, quod Deum omnium rerum auctorem cognoverit aut cognitum habere possit.

Ne contra putetis, Auditores, me rem his ita absolutam et ad finem perductam indicare, ut theologicis quaestionibus nullus locus relinquatur vel metaphysica indagatio plane sit spernenda. Procul dubio in Dei naturam, ipsumque mundi creationis, vel quocunque tandem nomine eam insignire velis, factum, quantum ullo modo fieri possit, est inquirendum; late patet investigationi campus qua haud scio an nihil gravius digniusve sit habendum, modo rectam viam sequaris iustisque utaris adminiculis. Factum illud tum novis argumentis comprobari tum accuratius cognosci at vero nullo modo tolli potest.

Praeterea ut nec impeditur ulterior de Deo disquisitio nec accurata rerum creatarum legumque quibus tenentur, id est agendi rationis quam Deus ipse in mundo constituendo sequitur exploratio, praecluduntur tamen gravissimi errores in quos et facile inciditur et multi inciderunt. Nam si Deus vere omnium rerum auctor est, nec mundus ex se ipso suaque vi constat, nec Deus ipse non nisi in mundo et cum eo esse posse censendus est.

Alius quidem erroris ipsi accusantur Israëlitae vel ei saltem ansam dedisse creduntur, quod Deum coluerint ita supra mundum elatum ut opus suum certis legibus adstrictum, caeterum sibi ipsi relictum, tantum quasi e longinquo administret eique fere per exceptionem adsit. Sed frustra, quum omnia, quorum unum hoc allegasse sufficiat: „Nonne coelos et terram ego impleo? inquit Dominus," ostendant eos Deum cognovisse non longe remotum sed proxime mundo adstantem, vel potius vim suam in mundum ita exerentem, ut ab eo distinctus, non separatus et procul distans dicendus sit.

Haec autem omnia Israëlitae, iterum monere lubet et liceat, non quemadmodum hodie fit et recte fit, ad scholae legem exponebant, sed animi quadam intuitione persentiebant. Atque hoc totius eorum cultus erat fun-

damentum. Longe enim alia, longe maior haec res est quam ut nudo monotheismi nomine significetur, quem recentissimus scriptor non Israëlitis modo, sed toti Semiticae genti natura scilicet proprium esse falso contendit. Multo minus enim de numero quaeritur quam de qualitate. Dubium autem non est, quin is quem Deum colebant Israëlitae totius universi auctorem, propter id ipsum quoque iis fuerit mens, spiritum vulgo dicunt, eaque et sapiens et potens adeoque talis qui et vere cultum admitteret et qui coleretur vere dignus esset. Qualem igitur Deum quum omnes reliquae gentes habuerint nullum, luculenter apparet iis religionis speciem quidem atque imaginem fuisse, ipsa religione eas revera caruisse.

Brevissime haec omnia indicare et quasi extremis lineamentis adumbrare conatus sum, Auditores, ut tempori parcerem aliis etiam gravioribus impendendo. Etenim quantopere populus Israëliticus Dei inter homines cultum promoverit, hinc demum patet, quod ille primus atque solus *regnum divinum* in humano genere condendum cognoverit et constituere inceperit. Alia enim est suprema illa Dei potestas, quam physicam fere dicas, cuique res creatae omnes vel invitae sunt subiectae, aliud imperium illud, morale vulgo audit, cui sponte sua et lubens homo se subicere potest et in quo tum ipsius Dei perfectio, quae amore tota continetur, tum hominis in Deum pietas, quae pariter amore tantum cernitur, elucet.

Huius autem regni Israëlitae imaginem exhibent in *theocratia* illa, quae multos quidem et olim habuit et etiam nunc habet laudatores, multis vero etiam variis nominibus invisa est, ita ut vel hodie, cum alias ob causas, tum libertatis modo civitatis, modo ecclesiae tuendae gratia, eam impugnare necesse habeant. Qua de re si libere profiteri liceat quod sentio, videtur mihi theocratia vulgo non ab adversariis solum, verum etiam a fautoribus minus intellegi, et quamvis vix sperare ausim, eam diligentius expositam omnibus fore acceptam, tenere me non possum, quo minus meam de ea sententiam vobis explicem.

Notatu sane dignum est ne FLAVIUM quidem IOSEPHUM, quem theocratiae nomen excogitasse omnes norunt, rem ipsam, de qua ei agendum esset, recte perspexisse, quippe quam ad regiminis formam retulerit. „Alii enim," haec sunt eius verba, „monarchiis, alii paucorum dominationibus, alii multitudinibus permiserunt civitatum arbitrium; noster vero legislator

horum nihil quidquam respexit, at quemadmodum quis vi sermoni illata dicat, in theocratiae formam redegit civitatem, Deo imperium et potestatem imponens et omnibus suadens ut ad eum respicerent."

In quibus equidem nunc non reprehendo quod totum hoc theocratiae institutum MOSIS prudentiae dicam an astutiae acceptum referat, unde fit ut fictione illud fere niti videatur. Nam hoc cohaeret cum universa eius ratione qua incertum esse videtur, num res a se tamquam divinas propositas vere divinas habeat, sed haec nihil ad nos. Hoc urgeo IOSEPHUM theocratiam tamquam regiminis quamdam formam monarchiae, oligarchiae, democratiae aequiparare atque opponere, ita ut ex eius mente Deus proprio sensu Israëlitici populi rex dicendus sit.

Quam sententiam tantum non omnes qui hac de re scripsere amplexi sunt et decessoris vestigia prementes variis modis excoluere, adstruxere, explicuere. Itaque totum exteriorem cultum divinum aliaque instituta cum ea in concordiam redegere, Deumque proposuere sanctuarium palatii instar inhabitantem, sacerdotibus pro aulicis, prophetis pro legatis, regibus pro vicariis utentem, leges promulgantem, supremi iudicis bellique ducis partes agentem, atque totius rei causam invenere hanc, ut scilicet idololatria quasi maiestatis crimen gravissimo supplicio plecti posset.

Iam vero, Auditores Humanissimi, vos aliquantum miraturos suspicor, si affirmaverim, horum longe plurima recentiorum auctorum ingeniis vel potius somniis deberi nec antiquis monumentis vel verbulo aliove indicio corroborari, paucissima modo specie cum iis convenire, ita tamen ut aliam explicationem et ferant et postulent. Est tamen ita. Statim enim iam monendum, nullum esse in libris Hebraicis locum, quo Deus revera aut populi Israëlitici rex dicatur, aut regia potestas aliaque quae proprie ad regem pertineant, ei tribuantur.

In narratione sane in qua Deus introducitur populum Israëliticum invitans ut sibi obediat suumque foedus servet, promissa Dei his quidem continentur verbis: „Et vos mihi eritis *regnum* sacerdotale." At quis ex illo solo vocabulo etiamsi illud ad litteram sumas, rationem concludat Deum ipsum regem agnosci velle, quum in reliquis nihil tale commemoretur? Aequo iure, id vero est nullo, inde confici potest hierarchiam hic institui, quum tamen nihil aliud spectetur nisi ipsius populi sanctitas, quae ei

communi omnium consensu honori esset futura. Neque de rege neque de sacerdotibus sermo est. Verborum sensus est: „Vos eritis mihi civitas tota quasi sacerdotibus constans et (hoc diserte additur) gens sancta."

Neque maioris momenti est locus poëticus in carmine quod BILEAMO tribuitur: „Deus cum Israële est et in illo [populo] est clamor regis", id est quo regi acclamari solet.

Gravius sane est quod GIDEON a suis invitatus ut regiam dignitatem eamque haereditariam susciperet, id recusasse fertur hisce additis verbis: „Dominus inter vos regnabit," quamquam vocabulum hic usurpatum proprie non significat *regnare*, *regem esse* sed universe *imperare*, *regere*.

Eiusdem generis sunt verba quibus Deus, quum Israëlitae regem postulabant, ad SAMUELEM usus esse traditur: „Non te respuere, sed me respuere ne in eos regnem," et ea quae in oratione a SAMUELE ad populum habita occurrunt: „Dominus autem Deus vester rex vester est."

At si haec verba vel maxime continere concedamus quod iis comprobari volunt, quod equidem utique nego, Deum in populi Israëlitici constitutione politica regis locum obtinuisse, ipsum hoc omnino falso contendi facile demonstratu est.

Sunt enim multi praeterea loci in sacris Israëlitarum hymnis, Psalmis vulgo dictis, in quibus Deo regnum tribuitur. Sed non tantum eorum longe plurimi Dei in omnes totius orbis terrarum gentes regnum celebrant, verum etiam omnes sunt recentiores, id est post introductam inter Israëlitas regiam dignitatem compositi, ideoque si Israëliticam spectarent civitatem, Deum tunc inprimis regem praedicavissent, quum eius regno, humano quippe regno instituto, nullus amplius locus esset. Nisi enim forte ad commentum illud de regibus Dei vicariis recurrere malimus, fatendum est illam Dei apud Israëlitas regiam dignitatem inde a Saülis temporibus necessario fuisse abrogatam, quod tamen merito negant omnes, quia Dei in Israëliticum populum auctoritatem, post constitutum regem humanum, nullo modo mutatam aut imminutam fuisse quam luculentissime patet.

His igitur locis si tantummodo laudibus tollitur Numen divinum, quippe cuius solius sit et in Israëlitas et in omnes gentes regnare, neque sermo est de civitatis regundae forma, facilis et certa erit ratio concludenda, in illis quae e tempore Iudicum excitavimus, populum carpi quidem et re-

prehendi, propterea quod rege postulando ostendat se non omnia a Deo expectare, non omnem in eo fiduciam reponere, sed nihil tradi de constitutione reipublicae.

Quibus omnibus satis manifestum est vulgares de theocratia opiniones parum firmo niti fundamento, uti non magis probanda sunt quae alii de hierarchia sub illa latente calumniati sunt, quippe quae reapse a tota Israëliticae civitatis indole abhorreat et historia teste numquam viguerit.

Fuere autem nonnulli qui servato theocratiae a IOSEPHO invento nomine aut designari opinarentur notionem quamdam, quam philosopham fere dicas quamque apud Israëlitas invaluisse perhiberent, veluti rempublicam et universe ius sacra esse et pietate in Deum tuta servari, aut hoc unum declarari contenderent, legem a Deo esse promulgatam et perpetuo ab eo vindicatum iri. Ingeniosius profecto quam verius haec excogitata; nam ut sint hae quodammodo theocratiae sequelae, ipsa tamen his non absolvitur.

Qualis vero fuerit — nam hoc concedendum est FLAVIUM IOSEPHUM, etsi in re ipsa cui novum nomen dedit definienda et in errorem inciderit et maioribus etiam erroribus ansam praebuerit, aliquid tamen vidisse, — qualis igitur vera theocratia fuerit, obscurum non diu esse potest Hebraeorum scripta sine praeiudicatis opinionibus inspicientibus.

Quod mox luce clarius apparebit modo ad insignem locum redeamus antea iam excitatum, quo theocratiae originem tradi omnes consentiunt. Haec enim sunt Dei ad populum verba: „Ipsi vidistis quomodo erga Aegyptios egerim: sustuli vos alis aquilarum et ad me vos adduxi. Iam vero si mihi obediatis meumque foedus servetis, eritis mihi priva propriaque possessio ex omnibus populis, mea enim est tota terra, et vos eritis mihi regnum sacerdotale et gens sancta.” Videtis itaque, Auditores, sermonem esse unice de obedientia ab Israëlitis Deo praestanda deque foedere eius, antea cum ABRAHAMO pacto, iamiam per MOSEN renovando, religiose servando, quo futurum esset ut, quum caeterae gentes omnes Deo quidem subditae sed ab eo aversae sibi quasi relinquerentur, Israëliticus ille solus Dei esset populus: de Dei regia dignitate, uti iam diximus, de regiminis forma omnino nihil.

Idem continetur pluribus locis per legem sparsis, ubi Israëlitae ad Dei obedientiam incitantur, quos singulos allegare longum est quique omnes eo

redeunt, quod iam ante exitum ex Aegypto tamquam promissum sic expressum reperimus: „Sumam vos mihi populum et ero vobis (non rex, sed) Deus."

Est itaque theocratia proprie nihil aliud nisi sua Deo maiestas a toto populo adscripta et tributa. Qua in re nonnulla notatu digna sunt, iam diligentius a nobis indicanda.

Et primo quidem videmus hanc theocratiam arcte cohaerere cum iis quae de cultu Deo tamquam omnium rerum auctori et domino ab Israëlitis reddito monuimus. Frustra enim contendunt Israëlitas suum peculiarem habuisse Deum caeterarum gentium diis oppositum. Fuerit iste nonnullorum rudiorum hominum error, ipsa verba a nobis allata: „mea enim est tota terra," demonstrant eum ab eorum religione vere abhorrere ipsamque populi Israëlitici quae dicitur electionem non impedivisse quo minus totum terrarum orbem Deo subiectum esse agnosceret.

Animadvertendum porro nullam omnino civitatis constituendae regundaeve formam theocratiae repugnare, omnes vero pariter cum ea conciliari posse, uti et historia docet elementa quaedam democratica, aristocratica, monarchica semper in Israëlitarum civitate affuisse, e quibus monarchica quidem praevaluerunt, nec tamen ita ut caetera plane extinguerent. Quamobrem vehementer falluntur qui putant theocratiam Israëliticam tyrannidi favere nec ullum regimen ferre nisi monarchiam absolutam et despoticam. Eodem plane modo apud Israëlitas iusta quaedam auctoritas tributa est sacerdotibus nec tamen eo valuit apud eos theocratia ut vere hierarchia aut oriri debuerit aut orta sit.

Infitiandum certe non est, atque hoc tertium est quod attendamus, theocratiam, supremum illum Dei non in civitate administranda sed in tota populi vita atque animo principatum, vim et efficaciam quamdam in varias res et instituta exeruisse.

In quibus hoc ante omnia commemorandum est, etsi equidem fere reticere mallem, quia omnium maxime theocratiae detrectatores in malam partem detorquere consueverunt, quod Israëlitae regem suum, quisquis tandem esset, a Deo electum, sibi datum, sanctum habebant. Quo tantum abest ut regis arbitrio plane relinquerentur et quidquid posceret ille id ei concedere cogerentur, ut ipsi potentissimi reges non minus quam tenuis-

simi eorum subditi Dei lege tenerentur eiusque praeceptis se adstringere deberent, quod quamvis ab utraque parte saepius neglectum, nihilo tamen minus e theocratia necessario profluit.

Huc quoque referendum quod qui in civitate iudices erant constituti hanc quidem dignitatem non a Deo tamquam rege accepisse censebantur, antiquitus saltem a populo ipso eligebantur, sed in iure dicundo se Deo obligatos sentire debebant, nec a iustitia deflectere propterea quod iudicium Dei esse sciebant.

Eiusdemmodi est quod Israëlitae totam quam incolebant terram ipsius Dei, non regio sed vere divino nomine, possessionem esse existimabant, nam quod hodie ex lege Mohammedica regis ius in solum, a subditis inhabitatum, esse perhibetur, nec tamen ab omni parte merito, id apud Israëlitas nequaquam valebat. Hi Deum totius orbis Dominum et reliquis gentibus et sibi, suam cuique populo dedisse regionem agnoscebant adeoque sibi vel in agro colendo non pro lubitu sed ex Dei voluntate agendum esse intelligebant.

Nec terram modo, semet ipsos etiam Dei esse possessionem sentiebant, quod illos umquam regi concessuros fuisse nemo facile convincet. Dei hoc esse iam Dei notio fortasse eos docebat. Sed arctius etiam cohaeret cum populi historia, quod ab ipso Deo Aegyptiorum imperio et vexationibus erepti et in libertatem restituti essent, unde admirabile illud praeceptum quo perpetua Israëlitarum saltem servitus prohibetur: „Nam servi mei sunt, quos ex Aegypto eduxi, ne venduntor in servitutem."

Hoc itaque theocratiae caput est atque summa, quod Israëlitis in omnibus rebus totaque vita Dei numinis atque maiestatis ratio erat habenda, quod omnia ab eo pendere sentiebant, omnia quoque ad eum referre et ad eius voluntatem redigere obstringebantur.

Sed hoc ipsum quid aliud est, nisi regnum divinum non politicum illud sed morale, quo arctissima homini cum Deo intercedit necessitudo, quo igitur omnis religio, omnis Dei cultus continetur.

Huius autem regni divini, cuius theocratia Israëlitica imaginem exhibet, vis praecipue cernitur in *lege* illa quae a Mose originem et nomen habet, quamque florentissimis reipublicae Israëliticae temporibus, etsi fortasse non in singulis accuratissime observatam, viguisse omni dubio caret. Suos ea

nacta est omni tempore admiratores, nec tamen paucos habuit qui in ea alius aliud reprehenderent. Inter quos omnes quum paucissimi recte perspexisse videantur quae nunc de ea praedicavi, haec paulo uberius pertractare mihi liceat.

Nimirum notissima est et apud omnes fere recepta legis Mosaïcae in tres partes, moralem, civilem, caerimonialem divisio, quam tamen ut in antiquissimis monumentis neutiquam indicatur, numquam mihi placuisse fateor. Nam ut praetermittam difficillimum saepe esse, si ipsum legum contextum perlustremus, tria illa genera a se invicem distinguere, et obedientiam praeceptis civilibus quae dicuntur iisve quae unice caerimonias spectare iudicantur praestitam iam morale quid esse, unde quoque fiat ut Israëlitae ad utraque observanda saepissime argumentis moralibus incitentur, hoc inprimis mihi urgendum videtur, omnia illa cuiuslibet generis praecepta multo minus externas actiones spectare quam internos animi sensus adeoque totam legem, quae vere una est unumque spirat animum, indolem habere omnino moralem.

Mirum fortasse accidet multis hoc de illa lege iudicium, quum contra, ubi eam religionis habita ratione considerant, hoc potissimum in ea culpandum habeant, quod lex sit, quippe quae non possit nisi agendi rationem praescribere, animi vero affectiones intactas necessario sinat. Et partim quidem verissime. Nam ut animus ad bonum honestumque impellatur, verba nihil valent, factis opus est quae sua vi hominem agant atque incitent. Sed hoc non est quod quaeritur et ad hanc normam ne perfectissima quidem doctrina moralis, sive Christianae sive philosophae cuidam hanc laudem tribuas, ab omni parte satisfacere potest.

Tota res quae nunc agitur huc redit, utrum Israëlitica illa lex talis sit, quae peragendis iis quae praescribat plane expleri possit, an vero etiam mentem animumque spectet, quibus quis in agendo ducatur, e quibus igitur tamquam e fonte omnes eius actiones profluant. Posterius unice probandum esse paucis demonstrabo.

Et primo quidem, quod supra iam innui, per totam fere legem inculcatur Israëlitis, eam quippe a Deo sancitam sancte iis observandam esse, ut Deo fidem et obsequium praestent, quin nonnullis praeceptis iisque interdum res mere externas spectantibus peculiare additur incitamentum ex

eorum cum Deo necessitudine petitum: „Sancti estote quia ego sanctus sum." Non latet me et hoc quibusdam morum doctoribus non placere, quippe qui postulent bonum ne propter Deum quidem, sed unice propter se ipsum perfici. At vel missa quaestione num summum bonum alibi quam in Deo inveniri queat, nemo infitias ibit legem quae bonum Dei causa perficiendum praescribat vere moralem esse dicendam.

Idque eo maiorem vim habet, quod illa Dei observantia non inde tantum originem ducere debebat, quod Deus omnium bonorum fons esset et auctor, ita ut eum lucri modo atque emolumenti gratia colerent Israëlitae. E contrario quod in Deuteronomio plus semel quasi in fronte legis scriptum est, merito existimatur eius mentem exprimere: „Diligito Dominum, Deum tuum, ex toto pectore et toto animo et omnibus viribus," unde satis apparet Israëlitas non nisi sincero amore in Deum ductos ei obedientiam praestare debuisse.

Accedit quod erga homines quoque eadem benevolentia esse debebant; nam et in ipsa illa lege Mosaïca reperitur illud: „Diligito proximum tuum aeque ac temet ipsum," quod sane populares modo et qui fratres dicuntur spectat, satis tamen ostendit aliquanto plus quam externas actiones lege ab Israëlitis postulatum fuisse. Quo etiam pertinent praescripta de misericordia erga pauperes, viduas, orbos adhibenda.

Nec tam arctis finibus ac saepe creditur ista benevolentia circumscripta erat, cuius rei hoc argumentum protulisse sufficiat, quod saepius iubet lex peregrinos, qui sane ab extraneis distinguendi et potius hospites dicendi sunt, bene habere. Haec inter alia legis verba sunt: „Quando versabitur apud vos hospes in terra vestra, ne vexatote hospitem; indigenae similis vobis esto hospes et diligito eum aeque ac temet ipsum, nam hospites fuistis in terra Aegyptiaca: ego Deus sum vester."

Aliud est quod attendamus. Etenim si legi vere propositum esset externas modo actiones regere, non tantum valde manca et imperfecta esset, quippe quae taceat de sexcentis quae quotidie usu venire possint, sed non pauca quoque praecepta contineat quae omnino non intelleguntur nisi sumamus iis quasi uno specimine principium aliquod indicari a quo tota quaedam agendi ratio pendere debeat. Huius generis sunt mandata de bove arante non capistrando, de hoedo in lacte matris non coquendo, de ave

non simul cum ovis vel pullis e nido capienda, de extremo agri angulo non demetendo, similia multa, quin iis quae de iure talionis lege statuta sunt, multo magis mihi videtur caveri ne quis iusto maiori poena afficiatur, quam ipsa poena quae infligenda sit definiri.

Plura adducenda habeo quae omitto ne vestra patientia abutar. Unum restat quod omittere nequeo, paucis tamen attingam. Si quid enim est quod ab illa legis indole morali alienum esse, quin multis ei repugnare et obesse videatur, sunt sine dubio praecepta illa quibus minutissima quaevis de locis, personis, temporibus sacris deque caerimoniis in Dei cultu externo observandis statuuntur, de quibus tamen sponte aliam sententiam feremus, modo hoc teneamus ea omnia revera esse symbolica.

Longa sane esse possit de symbolorum natura et vi disputatio. Ex mea quidem sententia comparanda sunt symbola cum tabulis pictis, quibus res quaedam imaginibus repraesentantur, ita ut proprie nulla indigeant explicatione, sed ipso adspectu ad mentem contemplantium quasi loquantur, quum qui in eas oculos coniiciant ipsas res intueri sibi videantur. Quaenam autem Israëlitae et quam distincte in symbolis suis viderint nobis nunc saepe difficilius dictu est pro illorum cogitandi sentiendique rationis a nostra diversitate. Nonnulla tamen satis certa sunt. Sic in sacrario, olim tabernaculo, dein templo Hierosolymitano, non regis palatium, ut hoc strictim moneam, sed ipsum praesens Dei numen quasi in medio populo degens adspiciebant, in sacerdote maximo, ornatiore vestitu induto, totum populum quasi in unum coniunctum, sanctitatis nota insignem, Deum adeuntem, in variis sacrificiorum generibus iam honorem Deo habitum, iam gratum erga Deum animum pro beneficiis, iam peccata deleta et amicitiam cum Deo redintegratam, in cibis vetitis, in munditie corporis, vestium, domuum, in lustrationibus, aliis multis sanctitatem qua se ornatos et conspicuos esse deceret.

Itaque haec omnia quamvis accurate et non sine quadam severitate praescripta multo minus propter se ipsa quam propter id quod significabant erant statuta eandemque ac reliqua omnia spirant indolem moralem. Et omnia simul conspirant ad regnum illud divinum, quod theocratia erat conditum, confirmandum, stabiliendum, perficiendum.

Non ignoro, Auditores, esse quaedam quae nonnullis videantur dictis

meis obici posse, quorum fortasse gravissimum hoc est, quod prophetae aliique viri praeclari non raro externum Dei cultum parvi faciant, quin populum graviter reprehendant ob nimiam in eo diligentiam, quippe cum animi perversitate moribusque corruptis saepe coniunctam. Et sane sunt multi huius generis loci, veluti Iesaianum illud: „Quo mihi copiam sacrificiorum? inquit Dominus, satiatus sum holocaustis arietum et pinguedine boum saginatorum, et sanguine iuvencorum et agnorum et hoedorum non delector.... Novilunia vestra diesque festos odit animus meus, sunt mihi onus quod ferre me taedet. Et quando manus versus coelum expanditis, oculos a vobis averto; quando multas funditis preces non audio; manus vestrae sanguine madent. Lavamini, purgamini, removete scelera vestra ex oculis meis: absistite malis, assuescite bonis; quaerite iustitiam, reparate violentiam; ius reddite orbis, causam agite viduarum." Sed prae caeteris lubet maiorem partem excitare carminis pulcherrimi quod ASAFI nomine inscribitur, quodque cum difficultate simul ea continet quibus haec solvatur. Post introitum Deus „pios suos cultores qui per sacrificia foedus suum pangunt" convocari iubet hosque sic alloquitur: „Non ob sacrificia tua [mi popule] te reprehendam et holocausta tua perpetuo ob oculos sunt." Per se itaque hae caerimoniae non improbantur, quod mox etiam clarius patebit. Sed ne quis, illo inprimis tempore, ea pluris quam par est faciat additur: „Non sumam e domo tua iuvencum, ex ovilibus tuis hoedos; nam meae sunt omnes sylvarum ferae, bruta in montibus sexcentis; cognitas habeo omnes montium aves et animantia agri possideo. Si esuriam non tibi dicam, nam mea est tellus et omnis eius copia. Num comedam carnem taurorum aut sanguinem hoedorum bibam?" Omnium rerum auctori atque domino profecto nihil umquam deesse potest. Quae autem nunc sequuntur vulgo minus intelleguntur et in alienum sensum torquentur ne, ut aiunt, toti carminis menti repugnent, sed omnino ad litteram accipienda sunt: „Offer [utique] Deo sacrificia eucharistica et persolve Supremo vota tua." Conceditur nempe piis Israëlitis ut sacrificia illa quibus Deus quidem non indigeat offerant tamen atque sic divini favoris sibi conscii fiant, quare et adicitur: „Et invoca me in anxietate et redimam te et honorem mihi tribues." Iam vero perventum est ad ea in quibus tota vis et summa carminis cernitur: „Sed improbo dicit Deus

(quod igitur piis cultoribus non dixit): Quo tibi instituta mea enarrare et foedus meum in os tuum sumere? Tu quidem odisti disciplinam et verba mea pone te reiecisti." Et post multas exprobrationes quas praetermitto in hanc denique sententiam exit carmen: „Qui sacrificium eucharisticum offert, mihi honorem habet et qui animum ad suam viam advertit ei salutem Dei experiundam dabo." Apparet igitur externum Dei cultum proprie non postponi internae Dei reverentiae, sed eorum tantum reici cultum qui perversis atque improbis actionibus ostendant, se illius vim atque significationem non amplius capere: vana igitur haec cultus divini species, cui veritas omnis deest, respuitur et damnatur. Hoc autem valet de omnibus locis, ubi circumcisio, ieiunia, alia sollemnia reprobantur aut in sensum spiritualem flectuntur. Tota res huc redit, omnia illa quum symbolicam vim habeant, tamdiu modo valere quamdiu hanc vim servent: ut primum vero Israëlitae illius obliti eamve spernentes in nudo signo haerent, caeterum vita sua animum a Deo aversum prodant, necessario fieri prorsus irrita.

Idemque fere observandum de iis libris, carminibus, capitibus in quibus cultus Dei externus omnino non, ipsa lex raro memoratur, pietas tamen in Deum omnesque virtutes inde manantes commendantur quorumque auctores ideo censentur a theocratia aversi fuisse vel eam nihili aestimasse, quod scilicet magnam in laudem iis vertitur. At qui sic rationem concludunt temere agunt, quod singulatim nunc ostendere tempus vetat; universe animadvertendum hos auctores tantummodo alios, si ita loqui liceat, vitae humanae orbes periodosve respicere et theocratiam veram illam non respuere sed eius principia iis aliter applicare.

Iam vero, Auditores Spectatissimi, roget aliquis qui me audiverit pro virili demonstrantem Israëlitas ita Deum totius mundi auctorem et rectorem coluisse, ut eius maiestatis in tota vita rationem habendam eiusque voluntati lege expressae obtemperandum sibi persuasum haberent, — roget igitur aliquis num illa Israëlitarum religio mihi ab omni parte absoluta et perfecta videatur, ultra quam progrediendum omnino non sit. Mihi quidem profecto non videtur, idque ob duas potissimum causas.

Prima haec est, quod ubicunque vere egregium quid, cuiuslibet tandem sit generis, inter homines in lucem prodit, hoc tamen ita fiat ut temporis,

populi, aliorumve momentorum indoles in eo expressa cernatur, unde fit ut vel praeclarissimum quodque ubi ab aliis excipiatur ad horum rursus usum ut ita dicam accommodari debeat.

Altera vero haec quod regnum illud divinum, quod summum bonum est omniaque bona complectitur, necessario intra ipsius populi Israëlitici fines contentum fuerit. Quod si Israëlitis vitio vertatur iniuria fit. Immerito enim accusantur quasi ita se populum a Deo electum habuerint ut omnes omnino gentes exclusas et reiectas iudicarent. Fuit hic posteriorum temporum error dicam an culpa, quum divino spiritu non amplius agerentur et antiquae religionis non nisi vana species superesset: ex ipsa religione nequaquam profluit. Hoc vero maxime admirabile est in illa religione, ut id quod populus Israëliticus ipse efficere non potuit, ad quod efficiendum non vocatus fuit, aliquando tamen futurum certissime speraret.

Vates enim praestantissimi omnes tempus venturum et praevidebant et praedicebant, quo omnes totius orbis gentes ad illud regnum divinum accederent et confluerent. Cuius rei ex innumeris documentis hoc unum allego antiquissimum vaticinium: „Postremo tempore constitutus erit mons templi Domini in capite montium et elatus erit supra collibus et confluent ad eum omnes populi, et venient magnae gentes et dicent: Agite adscendamus ad montem Domini, ad aedem Dei Iacobi, ut doceat nos vias suas et incedamus in semitis eius; nam ex Zione veniet lex et verbum Domini ex Hierosolymis" et quae sequuntur, unde satis apparet Israëlitis persuasum fuisse suam religionem vere ad universum pertinere genus humanum.

